DE IURE BELLI BELGICI ADUERSUS PHILIPPUM REGEM HISPANIARUM ORATIO NOBILIS...

Willem Verheiden, Jacob Verheiden



BENIVOLE LECTOR;

SI quid commissum, omissumue deprehendes, id ut Typographi festinationi imputare, & aequi bonique consulere velis, etiam atque etiam rogo.

AD POTENTISSIMOS AC SERENISSIMOS
CHRISTIANI ORBIS PRINCIPES
DE IVRE BELLI BELGICI ADVERSVS HISPANIARVM REGEM PHILIPPVM ORATIO.

MAgna atque ampla sunt imperia vestra, ILLVSTRES CHRISTIANI ORBIS PRINCIPES, quæ longè lateque per omnes mundi partes diffusa possidetis: Sed multò majores, multoque potiores sunt virtutes artesque eæ, quibus hæc continetis, conseruatis & rectâ dirigitis ad illam summæ felicitatis metam atque terminum. Harum duas ego præ cæteris singulares & eximias esse statuo, quæ ingenteis illas imperiorum moles tanquã magni quidam Atlantes humeris sufful-ciant: Iustitiam & Benivolentiam. Illa est præclara omnium legum mater & Rerumpub. gubernatrix, per quam justa rectaque civibus vestris subditisque decernitis ex æquo & bono: Cui cedit ultrò fascesque submittit vestra ipsorum voluntas, consilium, appetitus: quæ vos ipsos juxtà & subditos vestros ijsdẽ legum vinculis coniungit atque copulat: Hujus caussa rei veteres olim Philosophi Iustitiam fingebant perpetuò Iovi comitem sociamque adsistere, quòd ab illa Iupiter hanc universam mundi machinam benè regendi præcepta caperet:

232

Vt quicquid ille decerneret, id omne iustum esset; non quia ipsus ita decreuisset, (vt Anaxarchus improbus adulator Alexandro regi ob occisum a se Clitum gravissimè dolenti persuadere voluit) sed quia. Iusticia adsistente ita decreuisset: Nam fruendæ Iustitiæ caussa credebant sapientissimi viri olim benè moratos Reges constituendos esse. Quæ quidem virtus & scientia, quùm ita per omniũ hominum ingenia, mores, vitã se distendat ac dilatet; vt nihil præclarè quicquã sine ea effici queat, nec omninò honestè viuere homines sine ea possint: Tamẽ in vestro hoc amplo & illustri munere, Principes, longè excellentius illa quiddam obtinet; Ea nimirùm à vobis requirit atque postulat, Vt leges, quas à majoribus vestris à tot indè seculis per tot hominum manus ad vos transmissas accepistis, & quas videtis aptas atque efformatas ad ingenia, naturam, & mores gentis vestræ, sanctas & intemeratas esse velitis: Nam eas si tollitis, tollitis & evertitis imperia vestra. Non enim ut gladius Delphicus multis ac diversis usibus; Sic unæ eædemque leges omnib. populis conueniunt, non ijsdem imperijs regi omnes cupiunt, aut possunt: Sed in vestrarum cujusque legum obseruatione legitimum & stabile imperium vobis descripsêre vestri majores. Hoc autem fundamentum & firmamentum habetis supremæ & divinæ vestræ dignitatis. Quanquam alterum illud, quod Benivolẽtiam nominavimus, ipsi non ignoratis, quid etiam momenti adferat ad commodum, diuturni-

tatem-

tatemque Reipub. Hanc intelligo adfectum, amorem, voluntatē, studium benefaciendi subditis vestris, hisque procurādi & augendi cōmoda cùm priuata tùm publica, ex quorum usu metienda esse omnia cōsilia vestra, omnesq́ actiones vestras profitemini: Hæc ipsa efficit, vt subditorum patres sitis, non domini, pastores, non laniones, Reges, non Tyranni: Ab hoc fonte ducitis reliquos virtutum vestrarum rivulos; Clementiam, Lenitatem, Comitatem, Modestiam, Beneficentiam: Hoc deniq́ue est verum illud assiduumque publici boni studium, cujus caussa ab ipso Deo immortali imperia vobis data tributaque sunt, quùm subditi vestri non vestrâ caussâ & in vestrum usum creati atque geniti sint, sed vos subditorum caussa cōstituti, his consulere, his prodesse, hos tueri vestra auctoritate, virtute, prudentia velitis. Quapropter quùm in his duabus virtutibus omnis regendi scientia, omnium Principum magnitudo, omniū civium beatitudo versetur; & quicunque Princeps has negligit & spernit; is imbecille ac debile imperium obtineat, ac re ipsa Tyrannus sit, cujus voluntati ac libidini parere nemo debeat; facilè intelligetis, Potentissimi, Illustrissimique Christiani orbis Principes, quo loco habere debeamus Philippum Regē Hispaniarum, Cujus violento & injusto imperio quum Ordines fœderati Belgij resistāt, visum mihi fuit, de Iure hujus belli pauca ad vos loqui: Et vos rogare, ut tanquam boni & justi rerum arbitri deposita omni simultate, suspicione

 & ad-

& adfectu hanc cauſſam æqua & ſincera mente cognoſcatis ac judicetis, ex ijs quæ dicturus ſum in hac vera & ſuccincta narratione hiſtoriaq; rerùm Belgicarum, quæ, à Philippi Regis ætate in his Provincijs illius libidinoſo & iniquo imperio geſta fuêre. Quæ dum vobis exponere inſtituo, rerum me copia inopem conſilij reddit, ut quem potiſſimùm ordinem modumque ſeruare debeam, ignorem: & videam faciendum mihi eſſe, quod Pictores ſolent, quib. in exigua tabella ingens aliqua multitudo hominum exprimenda eſt. Nam ut illi nonnullorum vultus tantũ atque ora, multorum ſumma modò capita oſtẽdunt, totum reliquum corpus abſcondunt, Ita me pauca modò adſumere ex multis rebus in Belgio geſtis breuiterque eadem complecti & capita duntaxat, ſummaque rerum faſtigia perſequi erit neceſſe: Ex quibus cognoſcetis magnas & juſtas ab initio extitiſſe cauſſas hujus belli noſtri; eaſdem majores & juſtiores progreſſu factas eſſe. Vos autem, Illuſtriſſimi Principes, adeſte benivolis animis & auribus, quicunque juſta, legitima ac feliciſſima imperia tot retrò ſeculis retinetis, quicunque publico veſtrorum ſubditorum cõmòdo & utilitati ſtudetis: attendite ad res maximas & graviſſimas: in quibus exponendis, nihil me allaturum quod non ſit ipſi rationi conſentaneum; nihil dictrum quod vel unum digitum tranſuerſum à veritate diſcedat, conceptis ad Fidei aram verbis, ſanctè iuro ſpondeoque.

Magnus

Magnus Cæſar Carolus graviſſimos imperij labores ſuſtinuerat, innumeris penè Provincijs & Regnis auxerat imperium, infinitas & incredibiles confecerat expeditiones: Novem in Germaniam: ſex in Hiſpanias: ſeptem in Italiam: decem in Belgium: quatuor pace & bello in Galliam: bina in Africam itinera peregerat, quùm à bello Germanico (cujus tum exitus valdè incertus atque dubius eſſe videbatur) ſuperſedere cuperet & jam gravis ætate & laudibus imperij concedere in Hiſpaniam vellet, ibique quietus & tranquillus in ſummo ac pio otio tranſigere feliciſſimam ſenectutem. Ità ſe maximus Imperator abdicavit omnibus Regnis ſuis atque Provincijs: Ità Philippo filio omnis labor & cura rerum a patre cum hæreditate obvenit. Quem ille cùm ſæpè anteà, tùm verò maximè, quùm, uti dixi, ultimum in Hiſpanias è Belgio, tanquam è vita diſceſſum pararet, hortatus eſt (Sicuti boni Principes ſolẽt ſummoperè eſſe ſoliciti de ſucceſſorum in Rempub. ſuam voluntate, virtute, curâ atque ſtudio) & ſeriò quidem præſentibus Principe Orangio & Boſſutio ſeniore, alijſque nobilibus viris monuit, Vti præ ceteris Regnis ſuis, hiſce comprimis Belgij Provincijs maximam curam adhiberet, ſciret hanc gentem nulla imperij ſeveritate gubernari conſuêſſe, abhorrere ab omni rigore, faſtu, inſolentia Hiſpanorum, Libertati ac legibus ſuis valdè deditam eſſe: ad hæc omnia niſi animum Philippus adverteret, atque id conniteretur, uti omni cum benivo-

nivolentia, &, ut fas erat, cum iuſta ſuarum legum obſeruatione hunc populum haberet, fore uti laboraret aliquando illius in Belgas imperium. Meminerat optimus Patriæ parens, idemque fortiſsimus Imperator, ſe à Belgis ſuis conſilio operaque fideliter tot in aduerſis caſibus adiutũ: Sciebat, quùm replicaret omniũ temporũ memoriá, imperia omnium Regum ac Principum Hiſpanorũ in ſubditos ſuos ac univerſos populos ſemper extitiſſe auſtera, ſuperba, crudelia, & iam inueterata & à natura Hiſpanorum ingenijs inſita quædam odia in Belgas eſſe, ſæpiuſque illa palàm apparuiſſe: Conſiderabat Philippum filium in Hiſpania natum eſſe & educatũ, ibique cum lacte nutricum imbibiſſe hæc magna ingenij morumque vitia; atque adèo probare, imitari de induſtria, & Hiſpanorum mores præ ſe ferre: vt non niſi Hiſpanicè loqui poſſet, nec niſi miniſtris Hiſpanis uti vellet. Vt igitur bacillum aliud eſt inflexum & incuruatum de induſtria, alivd ita natum; ſic Philippus multa indigna tanto Principe vitia, ſimul à natura, & ab educatione habuit ſeruavitque. Nam quùm primùm Cæſar Belgium reliquiſſet, reliquit Philippus illa ſalutaria & prudentiſsima conſilia optimi patris; Et ut obſcuratur atque offunditur luce ſolis lumen lucernæ, & ut interit magnitudine maris Ægæi ſtilla muriæ: ſic præclara illa monita, quæ, tanquam cygnæam vocem diſcedens Cæſar edidit, hiante ore abſorbuerunt iſtæ immanes & vaſtæ voragines Hiſpanicæ ambitionis & odia

noſtræ

noſtræ gentis: quæ ità penitus animum Philippi & omnium Hiſpanorũ occupabant, ut Belgas non parere juſtis & patrijs legibus,ſed ſeruire ſuæ libidini vellent, cum reliquis populis Indiæ,Italiæ, Arragoniæ. Ex quo intelligitis (id quod ex eo tempore quo Philippus regnis ſuis præeſſe cœpit,ipſi vos magno veſtro malo ſæpenumerò ſenſiſtis)intolerabilẽ & incredibilem eſſe illius faſtũ & ambitionẽ,eumq́ ſummo ſtudio,omni ope & operâ ubique terrarũ illegitimã imperandi licentiã conſectari. Bellũ in Gallos Rex Philippus reſtaurauit,quod Cæſar per inducias intermiſerat: quùmq́ in illius uſum ab Ordinibus Belgij poſtularet pecunias extraordinarias, perlubenter & uno omnium Ordinum conſenſu eæ conceſſæ Regi fuerunt, quanquã antea in tot bella Cæſaris liberaliſsimè ac ſæpius contuliſſent. Nam coactis ex more & patrio ritu omnium Provinciarũ Ordinibus, rogatiſque omnium Ordinum ſuffragijs (nam talia ſine communi omnium permiſſu geri, permitti autem niſi habitis antè Comitijs fas non erat) decernitur uti Regi Philippo in novem annos magna pecuniæ vis tribuatur. Hoc *ſubſidium* appellatũ *Nouennale*: Quod quidem huic bello magnoperè ſeruiebat;Sed longè magis illa præclara & antiqua procerum Belgarum virtus, quâ cùm in alijs bellis plurimùm, tum in hoc Gallico tantùm valuêre, ut Philippus potentiſſimo Galliarum Regi duobus ſecundis prælijs victo fugatoque, ac poſtea pacem poſcenti eas leges condicioneſque præſcrip-

ſerit, quæ cum ſummo honore ſuo, & gloria, & commodo coniunctæ eſſent: Cujus quidem victoriæ laudē omnes homines, atque ipſi imprimis tùm Galli victi, tùm Hiſpani æmuli tribuebant virtuti Belgarum; Atque hæc una res eo tempore tanti momenti fuit, ut ſi Rex Philippus tot præteritis in parentem, tot in ſe beneficijs ad humanitatem flecti nequiviſſet, accedente imprimis præclaro Hungariæ Reginæ teſtimonio, quæ diſcedens è Belgicâ præfecturâ adfirmavit Regi, ſatis ſibi ſuperque exploratam eſſe fidem ac virtutem Belgarum, quibus tùm Cæſar, tùm ipſe Rex ſumma quæque deberet; hoc ſaltem unico facinore, hac tam unanimi omnium Ordinū concordiâ, & ad Regem ſuum juvandum conſpiratione, hac fide, hac procerum fortitudine ad eorum amorem ac benivolentiā accendi debuiſſet. Sed ſpreuit Philippus hæc teſtimonia, contempſit illa beneficia Belgarum reſque præclarè geſtas; Quid dico ego ſpreuiſſe eum? imo verò etiam ſummo odio factiſque atrociſſimis compenſauit. Pace enim Gallica conſtitutâ, grauiſsimè ferre viſus eſt, quòd Ordines paullò antè in Nouennalibus tributis ſtatuendis nō ſtatim ad nutum illius aperuiſſent ac profudiſſent univerſum Reipub. ærarium, imperioque illius è veſtigio paruiſſent: ſed primùm coacto de more & lege omniū Ordinum concilio habitiſque Comitijs deliberarent, vti res omniū conſenſu probaretur, & ſtatueretur per quos homines potiſsimùm hæc pecunia omnis tractari & in u-

ſum

sum Regis commodè distribui posset: Ob hanc caussam ille (qui oppressa libertate & patrijs legibus conuulsis merum in Belgas imperium, hoc est, puram putam Tyrannidem adfectabat) subsidium illud pecuniarium, nō benificium, sed crimen Læsæ Majestatis judicaret, Ordinesque etiam suspectos haberet, & tanquam hostes ac rebelles imperij sui: Hæc enim satis digna caussa Philippo Hispanisq; omnibus visa fuit, cur sese inimicos Belgis ostendere inciperent, & in leges, in libertatem, in privilegia eorum impetum facerent, Quod scimus Tyrannis omnibus in more positum esse, uti minimas caussas venentur, & aliqua juris specie vestiant ad conuellendas & evertendas suorum subditorum leges & libertatem: Ita enim Sex. Tarquinius superbi filius in Gabiorum urbe summum imperium administrans, magistratus omnes per fraudes & ob falsa crimina occidit, in exilium ejecit, vt hoc modo urbem Tyrannidi sui patris adijceret: Et de Iulio Cæsare proditum litteris accepimus; quod quùm se in perpetuum imperium Reipub. Romanæ contra leges & libertatem ingerere cuperet, quicunque suis conatibus obstarent, eos vel probabili caussa, vel occulta quadam fraudium via sustulerit: Item Hispanus ex hoc portu iniustæ querelæ & accusationis, plenis velis properabat ad crudele in Belgas imperium, quod jam diu animo meditabatur. Nec sanè deerant alij, qui remis etiam hanc navem perditissimorum consiliorum propellerent ad Hispanicam Tyran-

 nidem;

nidem; nobilis ſcilicet unus atque alter, indignus ſtirpe, indignus patria ſua, qui nec ſoluendo erat, nec ſe ullo modo, niſi everſa Repub. incolumem fore putabat: Inter eos magnus pecuniæ villicus Barlemontius efferebat caput, & ex ore pernicioſiſsimo evomebat in ſinum Regis quælibet nefanda conſilia, quibus omnium Hiſpanorum animi ad majorem vim, fraudes & flagitia excitabantur. Nam eò etiam res devenerat, vt jam Rex cogitaret de occidendis Comitè Lalainio, & omnibus Ordinibus, viris prudentiſſimis & unicis Reipub. noſtræ protectoribus, ijs dico hominibus, qui paullò antè tot beneficia in illum contulerant, & vitæ etiam pericula ſubierant pro illius ſalute & imperio. Hac crudelitate quæ ulla major unquàm eſſe potuit? Hoc ingrati animi crimine, quod nam indignius ullum fuit? Sed attendite præterea, Principes, quantam licentiam & libidinem ſibi ſumpſerit Philippus antè diſceſſum, quem in Hiſpaniam parabat. Iubebat ille uti militem admitterēt in urbes ſuas præcipuas, eique ipſi ſtipendia ſoluerent, cives autē ac ſubditi omnes ab armis diſcederēt: Hi non refugiunt imperium ſui Regis; ſed rogant uti domeſticum non Hiſpanum militem recipiant: Ille inſtat, & omnino vult Hiſpanum haberi, in quibus videlicet crudeliſsimi imperij fundamenta poneret, eoſque jubet tenere ſuis vigilijs & cuſtodijs præcipua caſtra munimentaque Provinciarum, qui etiam ipſi non cohibebant iſtas furias inimicitiarum & inſiti odij ſui à cladibus

bus

bus & iniurijs Belgarum, quin ſtatim eas inferrent Antvverpiæ, Atrebato, Cameraco, urbibus primarijs: Deinde quod noſtris legibus omninò repugnabat, & violento illegitimoque illius imperio firmando ſummoperè conducebat, Philippus aliquot conſiliarios Hiſpanôs adiungit Ordinibus; homines quidem illos ad fraudes, ad iniurias, ad Tyrãnidẽ à naturâ factos atque compoſitos, Comitem Feriæ, Vergam, & Eraſum, qui voluntatem, imperia, conſilia omnia Philippi Regis in ſuo pectore haberent, quibus Ordines obtemperare voluit, nec quicquàm agere quod non illi magni Catones probaſſent; Quò fiebat, ut quùm penes illos ſumma rerum poteſtas eſſet, noſtri homines viri ſapientiſſimi & ſtudioſiſſimi Patriæ ſuæ, bonique publici, velut umbræ vagarentur, & tanquam ſtatuæ haberentur, in quibus præter nomen nihil eſſet additamenti; nec, quod conducebat Reipub. poſſent ſuadere atque exſequi. Tùm libertas, & animæ noſtræ venales & in dubio eſſe cœperunt: Nã ita ſe res habet, Principes, Rex Philip. atq̃ Hiſpani, quorũ ille ad iniuſtum imperium operâ utebatur, in eo omnes elaborarunt, vt, quemadmodum olim veteres illi Romani per decẽuiros novas leges duodecim Tabularũ à Græcis poſtularũt, Sic nos ſpretâ eversâq̃ libertate noſtrâ per hos crudeliſſimos Triumuiros nouũ aliquod imperiũ, novas & ſuperbiſſimas leges peterem⁹ ab iſto cõſilio ſenatuq̃ Hiſpanico, ex quo ordine prodierãt etiã hi ipſi, quos dico, conſiliarij Regij: Et quod nunc videtis Prin-

 cipes,

237

cipes, illos autoritate sui Regis Philippi velle leges & jussa ponere omnibus terrarum populis, hoc jugum seruitutis Belgarum ceruicibus voluerunt imponere, hoc onere crudelissimi imperij opprimere penitus Rempub. optimè constitutam, vt illi sua licentia & libidine pro legibus nostris uti possent. Hoc nimirum vocabant *Plenam integramque obedientiam*; Nos rectius Tyrannidem nominabimus, qui est violentus præter leges & mores dominatus, quo jam dudùm adflictantur, atteruntur tot populi Indiæ, Siciliæ, Neapoleos, Calabriæ, Mediolani, Arragoniæ, Portugalliæ, quos omnes illi nullis propriæ Reipub. legibus viuere patiuntur, ad quos ex Hispania velut è Romana urbe mittuntur Proreges, Præfecti, Legati, Consiliarij; atque illi omnes Hispani. Ecquid autem caussæ est cur ita faciant? Quia nimirum postulat hoc illa dignitas & majestas Monarchiæ Hispanicæ: hoc illis præscribit gravissimum illud dogma & disciplina Stoicorum, quam illi nō doctrinâ atque studio, sed naturâ suâ atque ingenio hausisse & à vetustate revocasse videntur, Quandoquidem illi omnes terrarum homines seruos, ministros suos esse, stupidos, stultos, infames, miseros, bestias: se verò solos Reges, solos sapientes, solos divites, solos beatos, solos homines esse prædicant, Inter quos, tanquam Chrysippus quidam, videtur Philippus fulcire porticum. At reclamant illi, se jure suo & lege armorum imperare exteris istis nationibus, quùm ita sit jure gentium atque usu receptum, ut

victores

victores victis leges & jussa pro arbitrio imponãt: Quod quidem si dandum est, Principes, vti sanè est diuturnæ omnium populorum consuetudini, cur in Belgium sibi hujusmodi imperium vendicant Hispani; quandoquidem hoc Philippo jure hæreditario competat, non armis, non vi, non fraudibus Hispanicis illi acquisitum subactumq́ sit: Sed maluit Tyrannus sursùm versùm omnia peruertere, bellis, incẽdijs, populationibus cuncta vastare, divina pariter & humana miscere, quàm privilegia auita & libertatem (quæ ipsa tamen videbat indigenis vita & sanguine cariora esse) Belgis relinquere. Itaque hanc sibi viam ineundam ratus est; Primùm, ut bello eos tanquàm hostes peteret, Tùm ut victis jus patrium adimeret, ipse novas tabulas & novas leges victis victor daret: Non negabat hoc olim Dux Albanus, qui quùm jam confirmata civili dissensione complures urbes bello crudelissimo diripuisset, dixit, & palàm jactavit, Regem non amplius Principis, sed victoris jura obtinere in Belgio. Itaque ille haud aliter, ac si res jam dudũ confecta esset, crudele imperiũ ubique exercere, leges iniquissimas ferre, vitam juxtà & bona optimi cujusque & fortissimi civis proscribere, eaque publicis præconũ hastis, & carnificum gladijs subijcere: Quid? an tale quicquam ullus unquam Tyrannus, ullus hostis instituit? Num Gelonem & Hieronem Siculos? Num Pisistratum Hippocratis filium? Hos autẽ accepimus quãtumuis per vim & præter leges Regno potiti fuissent,

mode-

moderatè tamen & ex Regni sui legibus imperasse; atque adeò suo imperio Siculorum Rempub. meliorem feliciorem que reddidisse? Quid verò dicam de Lydiade Tyranno? qui quùm in Magna urbe tandem abhorreret ab ista Tyrannorum iniustitia & insolentia, civibus suis leges pristinas restituit; ac postea etiam cum hoste Reipub. bello dimicans fortissimè pro illius salute occubuit: Romani etiam si quam armis provinciā Reipub. suæ adiecerant, eam summa cum modestia, gravitate, prudentia, Iustitiaque administrabāt. Tu verò, Philippe, non abstines ab iniurijs, à vi, à morte nostra, & ab interitu nostrarum legum, qui non bello, non Tyrannide, sed legitima hæreditate & jure matrimonij in tuam possessionē venimus. Quapropter si jus Tyranni exercere voles, Philippe, habe illud tibi in Italia, quæ jam dudùm hostico jure tibi paret: Si Rex videri, esto in Hispania, sive potius Hierosolumis: Si Monarcha, de quo jam dudum tui Hispani aruspices bonum omnem tibi retulerunt, esto ubicunque tua illa bellorum incendia miscebis: Si magnus denique Dominator, esto in Asia, esto in Africa: Nos neque hæc superbissima imperij tui nomina, neque leges iniquissimas agnoscimus in nostra libera Repub. Nec ulla nobis societas cum Tyrannis; quin potius summa distractio est: Ducem nos ac Principem habemus; illum quidem legitimum, ac justissimis nostrarum legum cancellis circumscriptum: Talem te quoque esse & æternùm fore jurabas, quùm

tu

tu cum ſumma omnium lætitia ac ſpe ingredereris in urbes noſtras, quùm te quiſquis cum ſummo honore & obſeruantia reciperet & amplecteretur, Tùm te coràm toto populo ad ſacroſancta de more Euangelia ſancto juramento adſtrinxiſti, te rata habiturum jura majorum, nec ullam ex ijs legem mutaturum eſſe. Sed ne temerè libertatem noſtram toties appellare, ſæpiuſque ſermone repetere videar, dicam quæ illa ſit, & quid velit. Credo enim, Illuſtres & Potentiſſimi Principes, Philippum Regẽ hujus memoriam jam dudùm depoſuiſſe ex omni ſua cogitatione, & exiſtimare hanc eſſe ſignum illud meretricis Tanagrææ, quod Clodius pernicioſus civis Romanus libertatem ſuam vocabat, & quod ille illiuſque Hiſpani omnes non ſimulacrum habent licentiæ, ſed tanquam ſuarum libidinum Deam & Venerem venerantur. Ego verò in jure, legibus, æquitate, conſuetudine & moribus majorum libertatẽ noſtram ſitam eſſe ſtatuo: & dicam, ſi placet, nonnullaque eorum revocabo illis in mentem, ut & vos, Principes, cognoſcatis, quæ tandem ſint illa, pro quibus tanquàm pro aris & focis pugnamus, & nullũ mortis genus ſubire pertimeſcimus.

PRINCIPES BELGÆ;

NEminem Iudicio præter leges, conſuetudineſque urbium aut publicæ curiæ proſequuntor, cuique ſe defendendi poteſtatem per aduocatos conceduntо.

Nullum peregrinum aut exterum muneribus publicis præficiunto.

Præfectum cum summa dignitate, auctoritateque Provincijs nullum adhibento, qui non sit sanguine & stirpe sibi coniunctus.

Ne statum Reipub. sua auctoritate per rescriptum vel edictū mutanto, nihil quicquam in ea innovanto.

Præter publicum consensum Ordinum nulla tributa exigunto, reditus suos ordinarios habento, ollisque contenti sunto.

Militem sine voluntate Ordinum in Provincias atque urbes ne ducunto.

Absque permissu Ordinum pretium monetarum nunquam varianto.

Nec obedientem & noxium civem mulctâ, vinculis, verberibus, ne coërcento: ni magistratus judicassit, inrogassitue.

Reum cujuscunque criminis à Iudice condemnatum ex Provincijs ad alia suppliciorum loca ne educunto.

Salus populi suprema lex esto.

Quod si quis Princeps migrassit, si vi, iniuria, fraude statum Reipub. turbassit, Ordines atque cives omnes morē illi recusanto, à fide & jurejurando immunes sunto, Præfectum Principis loco constituunto, dum ad meliorem mentem leniusue imperium ille redierit.

Et si quæ sunt aliæ leges hujusmodi, quibus hactenus diu multùmque floruerat Belgij libertas. Iam videte quæso & considerate, Principes, quæ dixi dicturusque sum de violento iniquissimoque imperio Regis Philippi, quàm illud ex aduerso non libertati modò nostræ, sed ipsi adeò Iustitiæ repugnet: Quanquam non sit necesse

cesse multa argumenta exquirere, vt ostendam, quod jam dudùm probaui, Philippum leges Belgij violasse & voluisse totum Belgiũ mera Tyrannide opplere, quùm ex interceptis litteris Alanæ, legati Philippi Regis id manifestè certòque cognoscere unusquisque potuerit, qui scripserat è Gallia ad Principem Parmensem Belgij Gubernatricem, certum deliberatumque esse Regi suo, abrogare, rescindere omnia privilegia Belgarum; atque illum hanc legem Belgis ferre, ne alia lex ulla valeat, quàm quæ illius imperio; illiusque consilio lata esset. Ac proindè Pontificis autoritatem imploravit, ut hic illi jurisiurandi fidem abrogaret, & sacramentum, quod de obseruandis legibus Belgicis præstiterat; vti hujus vanæ licentię ventis postea se totum daret in vastum Oceanum Hispanicæ Tyrãnidis, quoad tecta specie quadam Romanæ Religionis & sanctitatis apud bonos Principes & omnes terrarum populos lateret tanta crudelitas ac Tyrannis. O iniustitiam prædicandam, indignumque imperio Principem & imprudentissimum! Quid enim imprudentius atque inconsideratius in imperij negotio fieri ab illo potuit, quàm velle se liberari fide & jurejurando subditis suis dato? Ita rerum ignarus est Philippus, ut non intelligat quàm arcta sit coniunctio animorum, voluntatum, consiliorumque omnium inter illum & subditos illius per mutuam fidem jurisque jurandi religionem contracta? quæ sint legum & fidei vincula, quæ colligant & vinciunt munera officiaque omnium Prin-

cipum, ſenatuſque & ſubditorum, domini & vaſalli? Quibus enim de cauſſis vaſallus feudo excidit, jiſdem dominum proprietate illius privari ius eſt: Huic vaſallus nec fidem aut obſequium præſtare cogitur, ſi ipſe fidem & jura feudi vaſallo recuſarit. Dicebat olim Domitius Orator, *Cur ego te habeam Principem quùm tu me non habes Senatorem?* Et non inſcitè Lucius Craſſus, *Ego te conſulem putem, quùm tu me non putas Senatorem?* Cur non & nos pariter dicamus una voce; *Regem Philippum non agnoſcimus, qui nos ſuos ciues non agnoſcit; ſed pro inimicis & hoſtibus habet.* Quarè ipſi Philippo hæc eius perfidia noxæ cedit, dum hoc agit, vt Ordines ſimul etiam liberet ſua fide & juriſiurandi lege, ut illum non amplius Principem habere & obſeruare; ſed ut Tyrannum, ut communis Patriæ hoſtem reijcere & deteſtari jure queant: Vt enim quidam morbo aut ſenſus ſtupore ſuavitatem cibi non ſentiunt; Ita dum tanta malitia licentiæque libido & cupiditas Philippum alioſque Tyrannos inuaſit, non vident, non conſiderant, quid illis ipſis in his flagitioſis iniuſti imperij ſtudijs utile quid inutile factu ſit; ſed naturæ quadam immanitate feruntur & rapiuntur ad quælibet ſcelera atque flagitia. Quanquam quo animo, qua voluntate, quo adfectu potuiſti, Philippe, à legibus noſtris tantùm abhorrere & diſcedere, ut earum cauſſa fidem tuam, quá omnes boni Principes ſacrá ſanctamque habere & tanquam omnis Iuſtitiæ fundamentum conſeruare ſolent, turpiter violares, infringeres & abijceres?

ceres? An eæ iniuſtæ erant & præter rationem æquitatemque conſtitutæ? aut dignitati tuæ majeſtatique Hiſpanicæ quicquam derogabant? Atqui Cæſares, Reges, Principes, majores tui, & haud dubiè majores te & dignitate imperij & laudum rerumque geſtarum ſplendore atque præſtantia eas ſibi ipſis tulerāt & præſcripſerant; illas quidē juſtiſſimas & optimo Principe dignas, quibus universa ſalus omnium Belgarum nixa fixaque eſſet, omnis felicitas & diuturnitas Reipub. noſtræ conſtituta fundataque maneret, ad quas magnus ille Cæſar pater tuus, cæterique omnes tui anteceſſores multò evigilarunt acrius omni ſtudio & cura, quàm tu, Philippe, ad earum everſionem, perniciemque totius Reipub. Tyrannide & violentia tua contendis: Intelligebant enim optimi Principes, quod tu & omnes Tyranni negare & inficiari ſoletis, proprium munus bonorum Principum eſſe, ſemper meminiſſe, non ſolùm quantùm ſibi commiſſum, ſed quatenus permiſſum ſit: Et perpetuò recordari ſe gerere perſonam totius Reipub. debereque ejus dignitatem ſalutēque ſuſtinere: ſeruare leges, jura tueri: cogitare præclarum illud dictum planèque regium Regis Theodahadis, dicentis, *Quùm omnia poſſimus, ſola credimus licere nobis laudanda.* Propterea Antigonus tertius Rex Macedonum civitatibus ſuis ſcribebat, ut, ſi quid fortè per epiſtolam vel per reſcriptum imperaret atque ediceret, quod præter earum leges eſſe videretur, ei non parerent; ſed ſe ignorantia quadam atque errore deli-

quisse censerent. Magnum & præclarum Regem! qui ipse quùm audiret dicentem fortè quempiam, omnia nullo habito discrimine honesta & justa esse Regibus, nõ minus egregiè quàm prudẽter adiunxit, *Imo Barbarorũ Regibus, Nobis verò sola honesta pro honestis, sola justa pro justis sunt:* Similiter Themistocles Simonidi roganti uti sentẽtiam in judicio iniustam suo cõmodo ferre vellet, *Neque tu*, inquit, *poëta bonus esses, si præter numerum caneres, Neque ego Princeps bonus, si contra leges quicquam statuerem.* Vides te, Philippe, in huiusmodi factis, rebusque à te gestis omnibus coargui ab ethnicis & profanis Regibus, qui Chiistianus; & quidem Catholicus haberi vis? cõuinci te ab hujusmodi testibus, qui naturæ ductu ferebantur ad æquitatem justitiamque retinendam? te urgeri omnium confessione, ut ipse fateaiis te Tyrannidi studuisse ac studere? Atque ut ad alia nunc progrediar, ne hoc quidem Tyrannidis argumẽtum prætermittendum est, quòd ex eo tempore, quo primùm Philippus Rempub. Belgarum procurare cæpit, peræ grè voluerit Comitia Ordinum haberi; eos sæpè prohibuerit à consilijs, distraxerit, turbaverit, quùm de publico bono, uti mos habebat, in Comitijs acturi essent: Est enim senatus ille legum, totiusque Reipub. custos, præses, propugnator collocatus, portus & perfugium oppressorum. Cui hoc negotium datum, uti curet ne quid omnino Respub. detrimenti capiat: Hunc Philippus coire noluit, statuitque capiendum sibi aliud esse consilium: illo

senatu

ſenatu ſe ſua conſilia ac Tyrannidem gerere non poſſe. Didicerat enim hoc à Tarquinio ſuperbo, qui in Romano imperio hunc morem conſuetudinemque de omnibus rebus ſenatum conſulendi à majoribus traditam penitus ſuſtulerat, domeſticis autē conſilijs Rempub. adminiſtrabat: Et poſtea Iu. Cæſar quùm oppreſſa Repub. perpetuam Dictaturam ſibi vendicaſſet, collegia vetuit, quæ deinde Auguſtus reductâ ad pacem quietemque Repub. commodo publico reſtituit: Eademque Nero inſignis Tyrannus iterùm prohibuit ſub ſui imperij initijs. Nam Philippus non conuentus & concilia modò Ordinum; ſed illa etiam nobilium civiumque omnium collegia, cætus, congreſſus, ſocietateſque odio habuit, diſturbavit, & diſiunxit; is, qui omnium bonarum legum & morum; atque illius imprimis graviſſimi Ordinis ſenatorij quaſi parens bonus aut tutor fidelis eſſe debebat. Quarè ſi vobis, Principes, res in Belgio à Philippo, pernicioſè geſtas enarrare pergá, manifeſtè illum videbitis iniquiſſimum & minimè ferendum imperium concupiviſſe, & ad hæc conſilia fuiſſe animi ambitione atque extremo in Belgas odio inductum. Scio me in rebus celebratiſsimis ſermone omniū verſari, eaque quæ dico, notiora omnibus eſſe, quàm ut mea unius lingua aut mente capi queant: Notabo tamen ſingulares res, Etſi nullo modo poterit oratio mea ſatiſfacere veſtræ ſcientiæ: Etenim nullum mihi videtur majus in terris flagitium, ſceluſue indignius unquam auditum edi-

editumque fuisse, quàm illud Philippi fuit, quo conatus est non disiungere quidem aut dissipare solùm; sed occidere, trucidare nobilissimum quemque ex hoc Ordine publici consilij, Tùm, quùm illi, uti paullò antè dixi, Novennales suppetias magno suo beneficio, majore aũt illius studio & adfectu tribuissent; Tùm verò etiam, quùm primùm arcano consilio ille constituisset omnes Belgas ad internecionẽ delere, quicumque apud se suosque nefarios nostrarum rerum actionumque indagatores incidissent in suspicionẽ mutatæ Religionis.

Nam, ne hoc silentio præteream, priusquàm Philippus Ordines rebellionis & Læsæ Majestatis accusasset, Dux Albanus, quùm de pace Gallica ageretur, Henrico secũdo Galliarũ Regi exposuit cujusmodi essẽt illa Phil. Regis consilia de necandis non modò nobilibus ac primarijs viris; sed omnibus denique subditis suis quicumque suspecti restauratæ restitutæque Religionis purioris haberentur; Occidere, mactare voluit Philippus per seditionem aliquam civilem tot millia hominum, qui ne verbo quidem eum unquam læserant; Imo qui illius imperio summa cum benivolentia summaque cum obseruantia semper lubentissimè paruerant: quibus ille vix annum à discessu Cæsaris imperare & præesse cæperat, vt, si ex eo tempore, & ab hoc crudeli initio suæ Tyrannidis cursum tenere potuisset, jam dudùm omnes nostro sanguine sepulti obrutique fuissemus: Hæc ita esse, Principes, quis vestrûm de rei veritate dubitet, quùm

mini-

minimè dubitarit is, quem di xi, Rex Franciæ, hoc ſceleratiſſimum facinus impijs Philippi conſilijs ſuſceptum fuiſſe, Principi Orangio indicare, tum, quùm ille cæterique Principes pacem Paſſavienſem pro Philippo Rege tranſigerent: Neque Religionis cauſſa Philippum talia inſtituiſſe arbitremini, Principes: Cui religio erat viuũ aſpicere quenquam hominem, qui omnia illius conſilia non probaret: Cui religio non erat occidere tot millia civium innocentiſſimorum, ut eadem opera omnes etiam Belgij nobiles & magnates necarentur: Cui denique religio non fuit bello Maurorum centum nobiliſſimos mercatores Granatenſes in vincula conijcere, & per ſeditionem nocturnam omnes jugulare atque occidere; non ſuſpectæ Religionis cauſſa, (Nam ſemper Romanâ vixerant) ſed ob pecuniam & ingentes illorum divitias: quùm ex illis qui minimæ condicionis facultatiſque eſſet, haberet in ære & pecuniâ quinquaginta millia aureorum Hiſpanicorum, quæ Philippus ſtatim ſuo fiſco & ærario addixit. Atq̃ hæc de ipſo Rege Philippo, capite & architecto malorum omnium, curſim dicta ſunt: Nunc ad illa tempora veniamus, quæ ipſum ex his locis in Hiſpaniam profectum exceperunt. Triſtia tempora & multis cladibus funeſta! quorum memoria optimo cuique ac Patriæ amantiſſimo horrorem meritò incutiat. Tantumne Iberis, Mauris atque Semimauris in nos juris fuiſſe, ut qui res, fortunas, coniuges, liberos, vitamque noſtram pro Deo Opt Max. & pro Rege no-

ſtro profundere parati eramus, nullo merito noſtro rebelles ſubitò, impij atque hæretici declararemur: ac poſt multas vexationes iniuriaſque, miſeri nō ab uno aliquo Myrmillone, neque unico ictu proſtrati, ſed infinitis confecti vulneribus ægrè precariam animam inter infenſos hoſtes traheremus? Age verò videamus ordine gladiatores iſtos, prout illos nobis temporis ſeries oſtēderit, quos Rex Philippus ad Belgij præfecturam miſit ex Hiſpania ſua, ut ij nobis afferrēt, non curandi pericaloſiſſimi vulneris civilis, ſed illius refricandi & augendi potius exitioſa medicamēta, ex iſto fraudium & malitiarum narthecio. Si enim verū eſt, quod Politici ajunt, ingenium Principis cognoſci ex moribus & natura ſuorum amicorum, & eorū quos ad conſilia ſua miniſteriaque adhibet; Videamus profectò qualis ſit Hiſpaniarū Rex, ex ijs, qui ab ipſo fuerunt miſſi in Belgiū Præfecti.

Quùm igitur Philippus magna jam fundamenta crudelis imperij jeciſſet, in Hiſpaniam redire conſtituit, vt tanquam illo inſcio & abſente per hujusmodi adminiſtros Belgæ quiduis paterentur.

Et primùm MARGARETA PRINCEPS PARMENSIS Reipub. noſtræ præfuit, mulier callida, & avida Hiſpanicæ Tyrannidis, quæ augebat quotidiè varijs querelis & accuſationibus Regis odium: Cui ille adiunxerat conſiliorum omnium ſocium, & tanquā fidelem hujus itineris comitem, Cardinalem Granuellanum, ingenio hominem longè magis peruerſo, fraudulen-

dulento, turbido. Hi duo, Principes & architecti tantorum motuum, Hoc totum civile bellum natum, conflatum, susceptum istorum duorum opera est: Et ut Helena Trojanis, sic hi duo Reipub. nostræ caussa belli, caussa pestis atque exitij fuerunt: Nam quod Philippo antea vehementiore quodam rigore violentiaque efficere difficile fuerat, hoc illi per dolos, per insidias, per cuniculos elaborarunt. Illi primùm, quùm nihil viderent esse, quod magis sua instituta promovere posset, quàm per speciem quandam Religionis quidlibet agere præter leges & priuilegia nostra, Episcopos, novo consilio & præter morem Belgij, constituerunt, qui in maximis præcipuisque urbibus erant tãquã speculatores quidam publicarum & privatarum rerum collocati, qui quid quisque ageret, quid institueret prodebant, qui suspectos neglectæ Romanæ Religionis statim ad carceres; indè ad atrocissima supplicia mortemque rapiebant, bona eorundem & facultates omnes sibi & fisco adiudicabant: Quò fiebat, vt per hanc occasionem ij maximè tollerentur è medio, qui Reipub. operam dare, & Hispanorum indignis conatibus libertatẽ publicam & leges præferre videbantur. Hoc erat sanctum Philippi & Hispanorum institutum, hæc Religio, hæc sancta Inquisitio: quæ sceleribus & latrocinijs suis nomina indiderant, quæ nunquam antea in Belgio nec audita nec usurpata fuerant, quæ, ut ignis aquæ contrarius est, sic legibus nostris repugnabant: Quùm per eas ad Religionẽ

v8

i & morte coërceri nemo debeat : quùm per hæc sanguinolenta judicia ipsi vindices Patriæ nostræ, falsò crimine, cum uxoribus, cum liberis ad publica supplicia abducti fuerint. Quod idem Tarquinius Superbus & Tyrannus in simili caussa studiosè peregit : cujus ille mores & res gestas videtur non tantùm accuratè observare, sed etiam imitatione consequi : Hic enim, uti sui metum cuique inijceret, cognitiones criminum capitalium sine consiliis per se solus exercere, eoque pretextu occidere, in exilium agere, ac bonis multare solebat eos, quos suspectos & inuisos habebat, & undè prædam aliquam sperabat. Hæc & talia patrare in Belgio Philippus, cæterique illi maximorum scelerum & insidiarum auctores cupiebant, quùm nihil utilius, nihilque aptius esse judicassent ad tegenda facinora sua; retegendas autem omnes actiones & consilia uniuscujùsque nostrûm publica & privata, quàm si hanc novam Religionis habendæ tuendæque curam magno studio suscepisse viderentur. Nulla enim res deterior, nullum incommodum aut detrimentum majus certiusve hominibus solet evenire, quàm quod specie magni alicujus boni utilitatisque conciliatur. Sed priusquàm persequar ostendere, quantùm repugnarint, quantùmque derogarint privilegijs & publicæ saluti nostræ, inquisitionis istæ leges & statuta, fatebor ingenuè Imperatorem quidem ipsum anteà multorum cõsilijs persuasum, voluisse Hispanicæ & crudelissimæ Inquisitionis malum admittere in Belgium,

gium, voluiſſe aliquot novas & ſeveriores leges conſtituere de Religionis negotio: Verùm quùm videret hæc eff.ci ſine maxima Reipub. noſtræ mutatione,& detrimento non poſſe, atque intellexiſſet ea omnia noſtris legibus contraria,aduerſaque eſſe, deſtitit ab incæpto conſilio optimus parens,& conſeruator Patriæ noſtræ; ſalubribus autem Ordinum conſilijs rem omnem infectam reliquit: quùm hi ſæpius demonſtraſſent, quarè illa citrà legum & privilegiorum noſtrorum noxam exitiùmque ſtatui non poſſet. Vt,quantum ſtudium, quæ cura fuerit huic optimo Principi noſtro ſeruandi potius, & procurandi publici boni, quàm nocendi,non nemo manifeſtè cognoſcat. At Philippus mortuo Imperatore hæc prima inſtituta, conſiliaque Inquiſitionis jam dudùm omiſſa abiectaque, tanquam præſens aliquod ſuarum fraudium & inſidiarum fundamentum,ita ſtatim in medium retulit & adornavit, ut uno impetu totum noſtræ Reipub. ſtatum velle novis,& pernicioſiſſimis ſuis legibus ſubuertere videretur: Ille contemptis Ordinum noſtrorum cōſilijs, rationibus,rogationibus, ſpretiſque legibus noſtris ità fieri voluit atque imperavit; Vt primùm novem Epiſcopi crearentur maximarum urbium: Hi imminuto multorum Abbatum reditu,labefactatis abrogatiſque legibus & privilegijs majorum gentium, atque imprimis Cameracenſis & Leodicenſis, Epiſcoporum, magnificentius & ſplendidius viverent: Præterea his ſingulis à conſilijs adiungerentur novem alij hujus ordinis & ingenij homines, Canonici: 245

moderatè tamen & ex Regni sui legibus imperasse; atque adeò suo imperio Siculorum Rempub. meliorem feliciorem que reddidisse? Quid verò dicam de Lydiade Tyranno? qui quùm in Magna urbe tandem abhorreret ab ista Tyrannorum iniustitia & insolentia, civibus suis leges pristinas restituit; ac postea etiam cum hoste Reipub. bello dimicans fortissimè pro illius salute occubuit: Romani etiam si quam armis provinciā Reipub. suæ adiecerant, eam summa cum modestia, gravitate, prudentia, Iustitiaque administrabāt. Tu verò, Philippe, non abstines ab iniurijs, à vi, à morte nostra, & ab interitu nostrarum legum, qui non bello, non Tyrannide, sed legitima hæreditate & jure matrimonij in tuam possessionē venimus. Quapropter si jus Tyranni exercere voles, Philippe, habe illud tibi in Italia, quæ jam dudùm hostico jure tibi paret: Si Rex videri, esto in Hispania, sive potius Hierosolumis: Si Monarcha, de quo jam dudum tui Hispani aruspices bonum omnem tibi retulerunt, esto ubicunque tua illa bellorum incendia miscebis: Si magnus denique Dominator, esto in Asia, esto in Africa: Nos neque hæc superbissima imperij tui nomina, neque leges iniquissimas agnoscimus in nostra libera Repub. Nec ulla nobis societas cum Tyrannis; quin potius summa distractio est: Ducem nos ac Principem habemus; illum quidem legitimum, ac iustissimis nostrarum legum cancellis circumscriptum: Talem te quoque esse & æternùm fore jurabas, quùm

tu cum summa omnium lætitia ac spe ingredereris in urbes nostras, quùm te quisquis cum summo honore & obseruantia reciperet & amplecteretur, Tùm te coràm toto populo ad sacrosancta de more Euangelia sancto juramento adstrinxisti, te rata habiturum jura majorum, nec ullam ex ijs legem mutaturum esse. Sed ne temerè libertatem nostram toties appellare, sæpiusque sermone repetere videar, dicam quæ illa sit, & quid velit. Credo enim, Illustres & Potentissimi Principes, Philippum Regē hujus memoriam jam dudùm deposuisse ex omni sua cogitatione, & existimare hanc esse signum illud meretricis Tanagrææ, quod Clodius perniciosus civis Romanus libertatem suam vocabat, & quod ille illiusque Hispani omnes non simulacrum habent licentiæ, sed tanquam suarum libidinum Deam & Venerem venerantur. Ego verò in jure, legibus, æquitate, consuetudine & moribus majorum libertatē nostram sitam esse statuo: & dicam, si placet, nonnullaque eorum revocabo illis in mentem, ut & vos, Principes, cognoscatis, quæ tandem sint illa, pro quibus tanquàm pro aris & focis pugnamus, & nullū mortis genus subire pertimescimus.

PRINCIPES BELGÆ;

NEminem Iudicio præter leges, consuetudinesque urbium aut publicæ curiæ prosequuntor, cuique se defendendi potestatem per aduocatos conceduntо.

Nullum peregrinum aut exterum muneribus publicis præficiunto.

Præfectum cum summa dignitate, auctoritateque Provincijs nullum adhibento, qui non sit sanguine & stirpe sibi coniunctus.

Ne statum Reipub. sua auctoritate per rescriptum vel edictū mutanto, nihil quicquam in ea innovanto.

Præter publicum consensum Ordinum nulla tributa exigunto, reditus suos ordinarios habento, ollisque contenti sunto.

Militem sine voluntate Ordinum in Provincias atque urbes ne ducunto.

Absque permissu Ordinum pretium monetarum nunquam varianto.

Nec obedientem & noxium civem mulctâ, vinculis, verberibus, ne coërcento: ni magistratus judicassit, inrogassitue.

Reum cujuscunque criminis à Iudice condemnatum ex Provincijs ad alia suppliciorum loca ne educunto.

Salus populi suprema lex esto.

Quod si quis Princeps migrassit, si vi, iniuria, fraude statum Reipub. turbassit, Ordines atque cives omnes morē illi recusanto, à fide & jurejurando immunes sunto, Præfectum Principis loco constituunto, dum ad meliorem mentem leniusue imperium ille redierit.

Et si quæ sunt aliæ leges hujusmodi, quibus hactenus diu multùmque floruerat Belgij libertas. Iam videte quæso & considerate, Principes, quæ dixi dicturusque sum de violento iniquissimoque imperio Regis Philippi, quàm illud ex aduerso non libertati modò nostræ; sed ipsi adeò Iustitiæ repugnet: Quanquam non sit ne-

cesse multa argumenta exquirere, vt ostendam, quod jam dudùm probaui, Philippum leges Belgij violasse & voluisse totum Belgiū mera Tyrannide opplere, quùm ex interceptis litteris Alanæ, legati Philippi Regis id manifestè certòque cognoscere unusquisque potuerit, qui scripserat è Gallia ad Principem Parmensem Belgij Gubernatricem, certum deliberatumque esse Regi suo, abrogare, rescindere omnia privilegia Belgarum; atque illum hanc legem Belgis ferre, ne alia lex ulla valeat, quàm quæ illius imperio, illiusque consilio lata esset. Ac proindè Pontificis autoritatem imploravit, ut hic illi jurisiurandi fidem abrogaret, & sacramentum, quod de obseruandis legibus Belgicis præstiterat; vti hujus vanæ licentię ventis postea se totum daret in vastum Oceanum Hispanicæ Tyrānidis, quoad tecta specie quadam Romanæ Religionis & sanctitatis apud bonos Principes & omnes terrarum populos lateret tanta crudelitas ac Tyrannis. O iniustitiam prædicandam, indignumque imperio Principem & imprudentissimum! Quid enim imprudentius atque inconsideratius in imperij negotio fieri ab illo potuit, quàm velle se liberari fide & jurejurando subditis suis dato? Ita rerum ignarus est Philippus, ut non intelligat quàm arcta sit coniunctio animorum, voluntatum, consiliorumque omnium inter illum & subditos illius per mutuam fidem jurisque jurandi religionem contracta? quæ sint legum & fidei vincula, quæ colligant & vinciunt munera officiaque omnium Prin-

240

cipum, ſenatuſque & ſubditorum, domini & vaſalli? Quibus enim de cauſſis vaſallus feudo excidit, jiſdem dominum proprietate illius privari ius eſt: Huic vaſallus nec fidem aut obſequium præſtare cogitur, ſi ipſe fidem & jura feudi vaſallo recuſarit. Dicebat olim Domitius Orator, *Cur ego te habeam Principem quùm tu me non habes Senatorem?* Et non inſcitè Lucius Craſſus, *Ego te conſulem putem, quùm tu me non putas Senatorem?* Cur non & nos pariter dicamus una voce; *Regem Philippum non agnoſcimus, qui nos ſuos ciues non agnoſcit; ſed pro inimicis & hoſtibus habet.* Quarè ipſi Philippo hæc eius perfidia noxæ cedit, dum hoc agit, vt Ordines ſimul etiam liberet ſua fide & juriſiurandi lege, ut illum non amplius Principem habere & obſeruare; ſed ut Tyrannum, ut communis Patriæ hoſtem reijcere & deteſtari jure queant: Vt enim quidam morbo aut ſenſus ſtupore ſuavitatem cibi non ſentiunt; Ita dum tanta malitia licentiæque libido & cupiditas Philippum alioſque Tyrannos inuaſit, non vident, non conſiderant, quid illis ipſis in his flagitioſis iniuſti imperij ſtudijs utile quid inutile factu ſit; ſed naturæ quadam immanitate feruntur & rapiuntur ad quælibet ſcelera atque flagitia. Quanquam quo animo, qua voluntate, quo adfectu potuiſti, Philippe, à legibus noſtris tantùm abhorrere & diſcedere, ut earum cauſſa fidem tuam, quá omnes boni Principes ſacrá ſanctamque habere & tanquam omnis Iuſtitiæ fundamentum conſeruare ſolent, turpiter violares, infringeres & abijceres?

ceres? An eæ iniuſtæ erant & præter rationem æquitatemque conſtitutæ? aut dignitati tuæ majeſtatique Hiſpanicæ quicquam derogabant? Atqui Cæſares, Reges, Principes, majores tui, & haud dubiè majores te & dignitate imperij & laudum rerumque geſtarum ſplendore atque præſtantia eas ſibi ipſis tulerãt & præſcripſerant; illas quidẽ juſtiſſimas & optimo Principe dignas, quibus univerſa ſalus omnium Belgarum nixa fixaque eſſet, omnis felicitas & diuturnitas Reipub. noſtræ conſtituta fundataque maneret, ad quas magnus ille Cæſar pater tuus, cæterique omnes tui anteceſſores multò evigilarunt acrius omni ſtudio & cura, quàm tu, Philippe, ad earum everſionem, perniciemque totius Reipub. Tyrannide & violentia tua contendis: Intelligebant enim optimi Principes, quod tu & omnes Tyranni negare & inficiari ſoletis, proprium munus bonorum Principum eſſe, ſemper meminiſſe, non ſolùm quantùm ſibi commiſſum, ſed quatenus permiſſum ſit: Et perpetuò recordari ſe gerere perſonam totius Reipub. debereque ejus dignitatem ſalutẽque ſuſtinere: ſeruare leges, jura tueri: cogitare præclarum illud dictum planèque regium Regis Theodahadis, dicentis, *Quum omnia poſſimus, ſola credimus licere nobis laudanda.* Propterea Antigonus tertius Rex Macedonum civitatibus ſuis ſcribebat, ut, ſi quid fortè per epiſtolam vel per reſcriptum imperaret atque ediceret, quod præter earum leges eſſe videretur, ei non parerent; ſed ſe ignorantia quadam atque errore deli-

quiſſe cenſerent. Magnum & præclarum Regem! qui ipſe quùm audiret dicentem fortè quempiam, omnia nullo habito diſcrimine honeſta & juſta eſſe Regibus, nō minus egregiè quàm prudēter adiunxit, *Imo Barbarorū Regibus, Nobis verò ſola honeſta pro honeſtis, ſola juſta pro juſtis ſunt:* Similiter Themiſtocles Simonidi roganti uti ſentētiam in judicio iniuſtam ſuo cōmodo ferre vellet, *Neque tu,* inquit, *poëta bonus eſſes, ſi præter numerum caneres, Neque ego Princeps bonus, ſi contra leges quicquam ſtatuerem.*
Vides te, Philippe, in huiuſmodi factis, rebuſque à te geſtis omnibus coargui ab ethnicis & profanis Regibus, qui Chriſtianus; & quidem Catholicus haberi vis? cōuinci te ab hujuſmodi teſtibus, qui naturæ ductu ferebantur ad æquitatem juſtitiamque retinendam? te urgeri omnium confeſſione, ut ipſe fatearis te Tyrannidi ſtuduiſſe ac ſtudere? Atque ut ad alia nunc progrediar, ne hoc quidem Tyrannidis argumētum prætermittendum eſt, quòd ex eo tempore, quo primùm Philippus Rempub. Belgarum procurare cæpit, perægrè voluerit Comitia Ordinum haberi; eos ſæpè prohibuerit à conſilijs, diſtraxerit, turbaverit, quùm de publico bono, uti mos habebat, in Comitijs acturi eſſent: Eſt enim ſenatus ille legum, totiuſque Reipub. cuſtos, præſes, propugnator collocatus, portus & perfugium oppreſſorum. Cui hoc negotium datum, uti curet ne quid omnino Reſpub. detrimenti capiat: Hunc Philippus coïre noluit, ſtatuitque capiendum ſibi aliud eſſe conſilium: illo

ſenatu ſe ſua conſilia ac Tyrannidem gerere non poſſe. Didicerat enim hoc à Tarquinio ſuperbo, qui in Romano imperio hunc morem conſuetudinemque de omnibus rebus ſenatum conſulendi à majoribus traditam penitus ſuſtulerat, domeſticis autẽ conſilijs Rempub. adminiſtrabat: Et poſtea Iu. Cæſar quùm oppreſſa Repub. perpetuam Dictaturam ſibi vendicaſſet, collegia vetuit, quæ deinde Auguſtus reductâ ad pacem quietemque Repub. commodo publico reſtituit: Eademque Nero inſignis Tyrannus iterùm prohibuit ſub ſui imperij initijs. Nam Philippus non conuentus & concilia modò Ordinum; ſed illa etiam nobilium civiumque omnium collegia; cætus, congreſſus, ſocietateſque odio habuit, diſturbavit, & diſiunxit; is, qui omnium bonarum legum & morum; atque illius imprimis graviſſimi Ordinis ſenatorij quaſi parens bonus aut tutor fidelis eſſe debebat. Quarè ſi vobis, Principes, res in Belgio à Philippo, perniciosè geſtas enarrare pergã, manifeſtè illum videbitis iniquiſſimum & minimè ferendum imperium concupiviſſe, & ad hæc conſilia fuiſſe animi ambitione atque extremo in Belgas odio inductum. Scio me in rebus celebratiſsimis ſermone omniũ verſari, eaque quæ dico; notiora omnibus eſſe, quàm ut mea unius lingua aut mente capi queant: Notabo tamen ſingulares res, Etſi nullo modo poterit oratio mea ſatiſfacere veſtræ ſcientiæ: Etenim nullum mihi videtur majus in terris flagitium, ſceluſue indignius unquam auditum edi-

editumque fuiſſe, quàm illud Philippi fuit, quo conatus eſt non diſiungere quidem aut diſſipare ſolùm; ſed occidere, trucidare nobiliſſimum quemque ex hoc Ordine publici conſilij, Tùm, quùm illi, uti paullò antè dixi, Novennales ſuppetias magno ſuo beneficio, majore aũt illius ſtudio & adfectu tribuiſſent; Tùm verò etiam, quùm primùm arcano conſilio ille conſtituiſſet omnes Belgas ad internecionẽ delere, quicumque apud ſe ſuoſque nefarios noſtrarum rerum actionumque indagatores incidiſſent in ſuſpicionẽ mutatæ Religionis.

Nam, ne hoc ſilentio præteream, priuſquàm Philippus Ordines rebellionis & Læſæ Majeſtatis accuſaſſet, Dux Albanus, quùm de pace Gallica ageretur, Henrico ſecũdo Galliarũ Regi expoſuit cujuſmodi eſſẽt illa Phil. Regis conſilia de necandis non modò nobilibus ac primarijs viris; ſed omnibus denique ſubditis ſuis quicumque ſuſpecti reſtauratæ reſtitutæque Religionis purioris haberentur; Occidere, mactare voluit Philippus per ſeditionem aliquam civilem tot millia hominum, qui ne verbo quidem eum unquam læſerant; Imo qui illius imperio ſumma cum benivolentia ſummaque cum obſeruantia ſemper lubentiſſimè paruerant: quibus ille vix annum à diſceſſu Cæſaris imperare & præeſſe cæperat, vt, ſi ex eo tempore, & ab hoc crudeli initio ſuæ Tyrannidis curſum tenere potuiſſet, jam dudùm omnes noſtro ſanguine ſepulti obrutique fuiſſemus: Hæc ita eſſe, Principes, quis veſtrûm de rei veritate dubitet, quùm

minimè dubitaritis, quem dixi, Rex Franciæ, hoc sceleratissimum facinus impijs Philippi consilijs susceptum fuisse, Principi Orangio indicare, tum, quùm ille cæterique Principes pacem Passaviensem pro Philippo Rege transigerent: Neque Religionis caussa Philippum talia instituisse arbitremini, Principes: Cui religio erat viuũ aspicere quenquam hominem, qui omnia illius consilia non probaret: Cui religio non erat occidere tot millia civium innocentissimorum, ut eadem opera omnes etiam Belgij nobiles & magnates necarentur: Cui denique religio non fuit bello Maurorum centum nobilissimos mercatores Granatenses in vincula conijcere, & per seditionem nocturnam omnes jugulare atque occidere; non suspectæ Religionis caussa, (Nam semper Romanâ vixerant) sed ob pecuniam & ingentes illorum divitias: quùm ex illis qui minimæ condicionis facultatisque esset, haberet in ære & pecuniâ quinquaginta millia aureorum Hispanicorum, quæ Philippus statim suo fisco & ærario addixit. Atq̃ hæc de ipso Rege Philippo, capite & architecto malorum omnium, cursim dicta sunt: Nunc ad illa tempora veniamus, quæ ipsum ex his locis in Hispaniam profectum exceperunt. Tristia tempora & multis cladibus funesta! quorum memoria optimo cuique ac Patriæ amantissimo horrorem meritò incutiat. Tantumne Iberis, Mauris atque Semimauris in nos juris fuisse, ut qui res, fortunas, coniuges, liberos, vitamque nostram pro Deo Opt Max. & pro Rege no-

ſtro profundere parati eramus, nullo merito noſtro rebelles ſubitò, impij atque hæretici declararemur: ac poſt multas vexationes iniuriaſque, miſeri nō ab uno aliquo Myrmillone, neque unico ictu proſtrati, ſed infinitis confecti vulneribus ægrè precariam animam inter infenſos hoſtes traheremus? Age verò videamus ordine gladiatores iſtos, prout illos nobis temporis ſeries oſtēderit, quos Rex Philippus ad Belgij præfecturam miſit ex Hiſpania ſua, ut ij nobis afferrēt, non curandi periculoſiſſimi vulneris civilis, ſed illius refricandi & augendi potius exitioſa medicamēta, ex iſto fraudium & malitiarum narthecio. Si enim verū eſt, quod Politici ajunt, ingenium Principis cognoſci ex moribus & natura ſuorum amicorum, & eorū quos ad conſilia ſua miniſteriaque adhibet; Videamus profectò qualis ſit Hiſpaniarū Rex, ex ijs, qui ab ipſo fuerunt miſſi in Belgiū Præfecti.

Quùm igitur Philippus magna jam fundamenta crudelis imperij jeciſſet, in Hiſpaniam redire conſtituit, vt tanquam illo inſcio & abſente per hujusmodi adminiſtros Belgæ quiduis paterentur.

Et primùm MARGARETA PRINCEPS PARMENSIS Reipub. noſtræ præfuit, mulier callida, & avida Hiſpanicæ Tyrannidis, quæ augebat quotidiè varijs querelis & accuſationibus Regis odium: Cui ille adiunxerat conſiliorum omnium ſocium, & tanquā fidelem hujus itineris comitem, Cardinalem Granuellanum, ingenio hominem longè magis peruerſo, fraudulen-

dulento, turbido. Hi duo, Principes & architecti tantorum motuum, Hoc totum civile bellum natum, conflatum, susceptum istorum duorum opera est: Et ut Helena Trojanis, sic hi duo Reipub. nostræ caussa belli, caussa pestis atque exitij fuerunt: Nam quod Philippo antea vehementiore quodam rigore violentiaque efficere difficile fuerat, hoc illi per dolos, per insidias, per cuniculos elaborarunt. Illi primùm, quùm nihil viderent esse, quod magis sua instituta promovere posset, quàm per speciem quandam Religionis quidlibet agere præter leges & priuilegia nostra, Episcopos, novo consilio & præter morem Belgij, constituerunt, qui in maximis præcipuisque urbibus erant tãquã speculatores quidam publicarum & privatarum rerum collocati, qui quid quisque ageret, quid institueret prodebant, qui suspectos neglectæ Romanæ Religionis statim ad carceres; indè ad atrocissima supplicia mortemque rapiebant, bona eorundem & facultates omnes sibi & fisco adiudicabant: Quò fiebat, vt per hanc occasionem ij maximè tollerentur è medio, qui Reipub operam dare, & Hispanorum indignis conatibus libertatẽ publicam & leges præferre videbantur. Hoc erat sanctum Philippi & Hispanorum institutum, hæc Religio, hæc sancta Inquisitio: quæ sceleribus & latrocinijs suis nomina indiderant, quæ nunquam antea in Belgio nec audita nec usurpata fuerant, quæ, ut ignis aquæ contrarius est, sic legibus nostris repugnabant: Quùm per eas ad Religionẽ

gium, voluisse aliquot novas & severiores leges constituere de Religionis negotio: Verùm quùm videret hæc effici sine maxima Reipub. nostræ mutatione, & detrimento non posse, atque intellexisset ea omnia nostris legibus contraria, adversaque esse, destitit ab incœpto consilio optimus parens, & conservator Patriæ nostræ; salubribus autem Ordinum consilijs rem omnem infectam reliquit: quùm hi sæpius demonstrassent, quarè illa citrà legum & privilegiorum nostrorum noxam exitiùmque statui non posset. Vt, quantum studium, quæ cura fuerit huic optimo Principi nostro servandi potius, & procurandi publici boni, quàm nocendi, non nemo manifestè cognoscat. At Philippus mortuo Imperatore hæc prima instituta, consiliaque Inquisitionis jam dudùm omissa abiectaque, tanquam præsens aliquod suarum fraudium & insidiarum fundamentum, ita statim in medium retulit & adornavit, ut uno impetu totum nostræ Reipub. statum velle novis, & perniciosissimis suis legibus subvertere videretur: Ille contemptis Ordinum nostrorum cõsilijs, rationibus, rogationibus, spretisque legibus nostris ità fieri voluit atque imperavit; Vt primùm novem Episcopi crearentur maximarum urbium: Hi imminuto multorum Abbatum reditu, labefactatis abrogatisque legibus & privilegijs majorum gentium, atque imprimis Cameracensis & Leodicensis, Episcoporum, magnificentius & splendidius viverent: Præterea his singulis à consilijs adiungerentur novem alij huj us ordinis & ingenij homines, Canonici: 245

 Ex

Ex illis verò tres potissimùm exquirerentur viri austeriores & crudeliores, qui Inquisitioni sedulam, assiduamque operam impēderent, Et, quod longè est pejus, longèque indignius nostra libertate, isti Episcopi non tantùm interessent Comitijs Ordinum, sed in ijsdem suffragij quoque prærogativam haberent: Ita possent facilè hi turbatores quietis tranquillitatisque Belgicæ, optimis & saluberrimis legibus consilijsque Ordinum contradicere, ijsque tantùm derogare, quantùm Philippo Regi visum esset: possent etiam indicare Hispanis, hostibus nostræ patriæ, quicquid deliberarent Ordines: Neque enim ea mente & voluntate Philippi constituti fuerant, & admissi ad hæc Comitia, ut quæcumque salutaria cōsilia haberentur, ea illi probarent, vel, si quid ipsi possent statuere & suadere, quod è republica foret, id communis boni salutisque caussa facerent: sed ut per illos Philippus turbaret consensum nostrorum Ordinum, unanimemque consiliorum voluntatem, & alia consilia subministraret, quæ suæ Tyrannidi potissimùm seruirent. Iam igitur satis intelligitis, Serenissimi Principes, quapropter hoc novum Philippi institutum refugere & detestari Ordines debuerint, & quomodo illud legibus institutisque nostris repugnarit: Quanquam vel eo solùm nomine ijsdē prorsus aduersum fuerit, quòd, quià exteri quique, cùm Hispani, tùm Itali hoc instituto in Episcopos eligi statuique poterant, videbamus, audiebamus quotidiè in Comitijs consilijsque nostris colluviem istā

per-

peregrinorum hominũ, longèque alienorum à gente & natura Belgarum, quod ne fiat unquam in Belgio, legibus noſtris ità cautum prohibitumque eſſe paullò antè diximus; ut Principibus noſtris non liceat ullum peregrinum ad munera publica conſiliaque adhibere. Hoc aſtu, & dolo Philippus ſtudebat ingerere in Rempub. contrarias leges, noſtras abolere, ſuas ſubſtituere, novum ſibi ſenatũ habere in conſeſſu Ordinum: ſiquidem iſtorum conſilijs & opera ad Tyrannidem ſuam uti non poterat. Cæterùm nolo præterire crudelitatem & rigorem illum incredibilem novi hujus inſtituti, quẽ quotidiè exercebất tres iſti Inquiſitores: & oſtendam, quarè præterea hæc Inquiſitio legibus noſtris privilegijſque aduerſetur. Videbas quotidiè tres illos Iudices Infernales ſecretum à reliquis magiſtratibus urbium, Provinciarumque tribunal exercere: contemptâ publicâ magiſtratus autoritate, nouâ judiciorũ formâ reos proſequi, accuſare, condemnare: nullum, ne vel exiguum aliquod defenſionis genus his concedere: nullam provocationem ad magiſtratus ſuperiores permittere: per ſe ſuo ſolius judicio animique adfectu graſſari per inaudita & inſolita ſupplicia, in corpora, vitãq̃ tãtorũ, hominũ, qui vel per ſomnum ſibi in mentẽ venerant violaſſe aut neglexiſſe Religionem, vel quos per conſceleratiſſimas fraudes, & deceptiones ipſi induxerant, & pellexerant in hanc ſuſpicionem mutatæ Religionis. Nam ſolebant quotidiè ſubornare & emittere bibliopolas cum libellis

ſcrip-

ſcriptiſque ſuſpectæ Religionis,ad nobiles, & proceres Provinciarũ;vt, ſi hæc emiſſent,ſtatim illi tanquã hæreſeos,falſæq; Religionis rei accuſarentur & condãnarentur: Haud ſecus quàm ut de Hyæna,ſævo illo & crudeliſſimo animale accepimus, quod,ut homines, paſtoresque pecorum è ſyluis & latebris ad ſe alliciat ac vocet, poſteaque devoret,ſuo ſolet ejulatu eorundem voces & clamores imitari. Hoccine eſt, Illuſtriſſimi Principes, Religione pietateque ad Tyrannidem non abuti? Hoccine eſt ſtatum Reipub. non mutare, aliena à legibus præterque auctoritatẽ Ordinum in eâ nõ innovare quæ Philippo viſa fuerunt? Hoccine eſt noxium civem mulcta, vinculis,verberibuſque non coërcere præter leges patrias,præterque autoritatem magiſtratus? Hoccine eſt denique reũ judicio contra leges conſuetudineſq; urbium,aut publicæ Curiæ non proſequi, cuique ſe defendendi poteſtatẽ liberã nõ denegare? Si interea dandum eſt Philippo ac Pontifici,quod ſanè inficior,Religionis mutatæ cauſſa tantam crudelitatem ſævitiamque exercendam fuiſſe in Belgio: Si negandum eſt, quod infiniti adfirmant,plurimos Belgas crudeliſſimè necatos fuiſſe, qui,præter Religionem Romanam,nullam aliam agnoſcebant, quique ignorabant, qua de cauſſa mortis condemnati eſſent, quũm nihil unquàm in iſtas Inquiſitionis leges commiſiſſent. Sed quia in hoc argumento, Principes, querelæ omnes & accuſationes Philippi adverſus nos inſtitutæ maximè verſantur, ut ſe nõ tantùm

hanc

hanc Inquisitionis institutionem : verùm etiam hoc diuturnum bellum, incendia, cædes, ad hæreseos eversionem, ad curam, defensionemque Romanæ Religionis, tanquàm præsentem medicinam adhibere profiteatur; attendite diligenter quæ paullò fusius hac de re dicturus sum, ex quibus satis apertè intelligetis, quanta illius malitia, quis astus, quæ simulationes, quæ hypocrises lateāt in illo Catholicæ Religionis nomine, & quàm cautè & callidè sua Religione abutatur Philippus. Scitis olim labenti imperio Romano, Cæsares sibi ipsis usurpasse & in titulis nomen, & in rebus gerendis auctoritatē dignitatemque maximorum Pontificum: Nunc verò videtis Philippum, ad augendum stabiliendumque imperium suum, remis velisque conniti, ut, si non vanum & inane nomen atque titulum Romani Pontificis sibi adscribat: at profectò voluntatem, auctoritatemque illius sua voluntate, cōsensu, studijsque omnibus circumscribat atque determinet: Vt, quod olim gravissimus, longèque præclarissimus Poëta Virgilius dixit, Augustū Cæsarem cum Deo divisum imperium habuisse, id nos verius de Philippo dicemus, Hunc cum Pontificis Romani magno illo imperio suum ita arctè strictèque coniunxisse, sua consilia & voluntatem, illius consensu & suffragijs ità firmasse & stabilivisse, vt quicquid ille velit, hic approbet, permittat, jubeat: & dicas potestatē illam, dignitatemque Romani Pontificis nihil aliud re vera esse, quàm Oraculum quoddam Delphicum, quod

Philippizet. Appetat enim regna aliena Philippus, copiosa, opulenta, sibique apposita: indicet, scribat Pontifici ac Senatui isti Cardinalitio; Religionis violatæ aut neglectæ caussa velitis, jubeatis, uti Rex Galliæ, vel Regina Angliæ in Regnis suis non sint, Belgarum privilegia & leges euertantur, illi supplicijs enecentur, bona eorum occupantis, id est mea sint: Annuet statim magnus ille Iupiter, &, tanquam virgulâ diuinâ, roganti Philippo horum omnium possessionem porriget: Atque hæc satis æqua caussa belli violentiæque exercendæ, & inuadendi vicina atque opulentissima regna vestra, & jura nostra illis videtur. Nam negare, aut recusare Pontificem & Cardinales Philippo id posse arbitramini, quùm ea lege creati sint plerique Cardinales, ut Philippi consilijs ac petitionibus suffragari, ijsque nunquàm, vel rarò contradicere debeant? Vera dico, Principes, & ipsi scitis hæc ità esse: Philippum non commendare modò verbis, sed deligere ipsum sibi hujusmodi viros in numerum illius Senatus Pontificij, qui ipsius imperium, conatus, juuare suis consilijs, atque operâ spondeant: Illum infinita munera; ne dicam annua stipendia in multos Cardinales conferre: Illum Pontifici sæpè, & Cardinalibus minari offensiones & iras suas, palàm dictitare, se alios antistites Romanæ Religionis requirere, si, quod ipse ad Tyrannidem suam constituendam deposcit, illi detrectent. Vult enim recondi & abscondi Pontificio ac Religioso nomine omnia sua scelera, inuasiones, extorsiones, cædes,

cædes, Tyrannidem, & edicto, suffragioque Romani Pontificis probari: quippe cui nefas sit quenquam contradicere, quùm illius tanta sit auctoritas atque dignitas, ut omnis Christianæ Reipub, felicitas, omnium hominum salus, vita, libertas, aræ, foci, bona, fortunæ, illius sanctitati, fidei, potestatique commissa creditaque esse videantur. Sixtus quinctus, & Gregorius quartusdecimus Pontifices, ex Mausoleo Trajano bruta illa proscriptionum fulmina ejecerant in caput, regnum, possessionesque omnes Regis Franciæ, postulante has futuri belli caussas Philippo: cujus insidias & fraudes quùm postea Sixtus quinctus Pontifex cordatior intellexisset, revocavit proscriptionem, odia, inimicitiasque; adeòque huic Galliæ Regi contra Philippum multùm favere visus est; quod illi non inuidiam modò, & extremum odium Hispanorũ omnium, sed extremum etiam diem conscivit. Et ante biennium curaverat Philippus per hunc Pontificem, veniam dari delictorum omnibus Christianis hominibus, per aliquot annorum millia, si pro pace Gallicana per horã unam atque alterã, flexis genibus, ad aras templorum Deum precarentur: Nec tamen pudebat interea prohibere, vetare, interdicere, ne Pontifex audiret legationes Cardinalis Gondij, Marchionis Pisani, Ducisque Niversij, pacis Gallicanæ caussa institutas: jubere autem, atque imperare, vt Legatus suus Româ tanquam hostis subitò discederet, simulatque isti legati ob pacem ad Vrbem venire permitteren-

terentur. Verùm quod tandem fuit illud Philippi facinus, & conſceleratiſſimum conſilium, quo nuper ex tot tantiſque præteritis inſidijs, & tectis in Galliam coniurationibus, ſe in apertum latrocinium, fœdiſſimumque parricidium conjecit? quùm illius & reliquorum coniuratorum cõſilijs, & operâ ſubornaretur ſacrificulus, qui religioſa veſte indutus, amico & familiari vultu, ſine ulla ira aut perturbatione, nullo metu perterritus, cultellum defigeret in corpus magni Regis Franciæ, quùm tamen is adfinis eſſet Regis Philippi: Atque hoc tam horribile ſcelus Paraſiti Hiſpanici ſpecioſo nomine appellarunt, *Ictum cælo datum*: Homicida vero iſte, & latro Regij capitis inſuper etiam in numerum ſanctorum relatus eſt: illius adfines, & propinqui ex puluere & ſordibus educti, & ad titulos honoreſque Cardinalitios Philippi commendatione & opera provecti ſunt. Ita illa labes, & flamma Chriſtiani orbis ſuum illud peſtiferum & funeſtum imperium, quod æquitate humana tueri non poteſt, fucata Chriſtianæ Religionis, & Catholici nominis ſpecie ſolet defendere. Sed dicam bona venia, Principes, nec calumniãdi ſtudio, ſed pietatis, veritatiſque profitendæ animo exponam vobis, quanta ſcelera, parricidia, libidines, vitæ etiam illius privatæ inhæreant, quæ omnia Catholico, & Religioſo nomine inuoluta, pro ſanctis, pijſque factis habentur. Vt filiũ ac legitimũ ſucceſſorem tantis Regnis ſuis relinqueret, potuit ſancta, & pia licentia crudeliſſimè occidere filiam & ſororem Re-

gum

gum Galliæ, uxorem ſuam legitimam & propriam, atque ejus loco poſtea neptem ſuam, cui ille avunculus erat, in uxorē ducere: Licuit præterea Philippo per Pontificem, ſancto ſcilicet inſtituto, occidere filium ſuum, Principem Hiſpaniæ Carolum, quòd libertati Belgicæ ac legibus noſtris favere, quòd mortem occiſioneſque multorum principum virorum non omnino probare videretur, quòd has Provincias ſuas eſſe, ſibique muneri datas in ſacratiſſimi lavacri celebratione diceret: Licuit etiam Philippo duas uxores, Reginam Portugallenſem, & Dominam Iſabellam Oſoriam uno eodemque vinculo matrimonij habere. Et quæ nota domeſticæ turpitudinis non inuſta vitæ illius eſt? quod privatarū rerum dedecus non hæret in fama? quæ ille omnia venerabili & pio Catholici nominis præſidio armare ſolet: Ille alios ad pietatem, ad Religionis cultum vocare, cogere, coërcere? Ille pro ſuis Religionibus bella ſuſcipere contra omnium Religiones? Ille totius Galliæ, Angliæ, Belgij, atque univerſi Orbis bello, ſupplicijſque inauditis & crudeliſſimis ſuas religiones expiare poteſt, qui eas ipſe tantis ſceleribus contaminat? Quod ſi igitur jam ſatis intelligitis, Principes, Philippum nihil de Religione Romana cōſeruanda aut colenda unquam decernere, quod non ſub ſpecie quadam pietatis, ad defenſionem ſcelerum ſuorum, ad iniuſti & ambitioſi ſui imperij propagandi & dilatandi occaſiones conferat, Quomodo tandem exiſtimatis Belgas ejuſmodi crudelitatem lon-

gius ferre, atque perpeti potuisse, qua omnes, cujuscumque condicionis aut dignitatis viri essent; ipsique adeò primates & nobilissimi quique, tanquam animantia sermonis ac rationis expertia, ob falsas & iniustas Religionis prætermissæ accusationes quotidiè mactabãtur, cum applausu & gaudio omnium Hispanorum; vt priuilegia, ut leges nostræ, utque libertas ipsa interiret, & periret cum eorum vita, qui hæc defendere & conseruare contendebant? Hæc ferenda nobis Tyrannis erat, Principes? Hæc Religio habenda? Hic fucus pietatis cum interitu libertatis & vitæ nostræ seruandus & probandus? Quapropter ipsa tandem aliquãdo necessitas, salusque omnium postulabat, ut in his gravissimis casibus, Ordines opem laboranti Reipub. ferre inciperent, resisterentque crudelissimis incæptis Barbarorum hominum. Neque verò adhuc de vi, de armis, de bello cogitant: sed patientes iniuriarum supra quàm cuiquam credibile est, rationis & juris viam ineunt, summaque cum modestia per libellos supplices Parmensem rogant, obtestantur; si Rempub. saluam esse velit, ut omittat novum, & incredibilem hujus Inquisitionis rigorem, & remittat aliquãtùm ab illa extrema sævitia suppliciorum. At hîc contemnuntur, cum conuitijs & calumnijs repelluntur, *Mendici* vocantur: Qui? ij mehercule, qui, propter libertatẽ publicam, propter jus Patriæ, id postulabant, quod summo jure debebatur: A quibus? ab ijs scilicet, qui nec dignitate generis, nec abundantia divitiarum multò superio-

periores, at virtute animi, consilio, probitate, longè inferiores erant magnis illis viris, & Patriæ defensoribus: At subditi, inquis, erant. Quid tùm? an quis bonus unquàm Princeps sprevit, & contempsit orationes, petitionesque subditorum? Imo verò Rex Artaxerxes Mnemon, Cyri frater non tantùm omnibus, qui quicquam ab eo poscerent, lubentissimè vacabat, sed uxorem in via jubebat pilenti aulæa dimovere, ut posset ab ijs, qui vellent, commodè compellari: Titus Vespasianus dicebat, se diem amisisse, quùm in dies non adfecisset aliquem subditum beneficio. Sed concedamus hoc crimen execrabili, & pudendo fastui, superbiæque Hispanicæ: Consideremus quanto potius discrimine laborarit Respub. quùm nec diuturna patientia, nec preces modestissimæ Ordinum mitigarent tantam libidinem atque licenriam. Nam instant hi ipsi optimi libertatis cives, & proceres: ferè singulos Hispanos, quicumque inter eos aliqua autoritate emineret, accedunt, indicant ijs adflictum Reipub. statum, orant, uti ipsi velint Parmensem, Regemque consilijs ac litteris edocere, quàm turbidus civilium dissensionum nimbus maximas calamitates minetur florētissimæ Reipub., nisi is clementia aliqua moderetur tantæ sævitiæ & sanguinis effusioni, tot tantisque exilijs, & proscriptionibus. Sed quùm tandem hoc etiam modo nihil agerent, ad ipsum Regem mittunt legatum, Comitem Egmondanum, qui & litteris Ordinum & verbis exponat Regi, quo pacto se Respub. habeat: Cui Rex coràm verbis

pro-

promittit, addicitque, facturum se uti omnia salua sint, & ex voto omnium Belgarum: litteris verò huic ipsi Legato datis, lõgè crudeliora Ordinibus minitatur. Postea verò, quùm Cæsar Maximilianus II. & omnes S. Imperij Principes, provocati & rogati à Belgis ad hoc beneficiũ, pro ipsis apud Philippum Regem, & Hispanos, de pace sarcienda firmandaque agerent; respondetur ijs, uti proprias res curent; Regem scire quemadmodum subditis suis imperare debeat. Omittamus hæc levia, loquamur potius ea, quæ robustioris improbitatis sunt: si tamen leve est, tanto cum fastu responsare Imperatori, spernere auctoritatem, commendationesque tantorum Principum: si leve est Principem virum, legatum populi Belgici contemnere, vanisque promissis lactare.

Quùm interea Ordines vident augeri, & in immensum excrescere crudelissima Philippi imperia, rogant Parmensẽ, ut illius voluntate auctoritateq́ secundò ad Regẽ mittantur Legati; mittantur autẽ Marchio Bergensis, & Dominus Montignyus: ut illi quoque tentent orationibus precibusque delinire, & commovere tantum crudelis animi stuporem, qui Regem penitus oppresserat: At quid fit Legatis? an, uti mos est, honore aut munere aliquo adficiuntur? an illis respondetur? an conceditur quod petebant? aut, si illud ipsum aliquo jure negari poterat, an honestè tamen dimittuntur? Quid? Marchio veneno tollitur, Montignyus Mottã Medinam abducitur, supplicioq́ publico capitis adficitur. Occiduntur

tur Legati populi Belgici, Occiduntur viri illustres, optimi Patriæ cives: Neque jam amplius jura civilia Rerumpub., sed naturæ leges, Gentium jura infringuntur, & conuelluntur ab Hispanis. Quid est quòd plura loquar? quòd demonstrare pergam, cur justa & pia sint arma nostra contra Philippum? quandoquidem hoc unum scelus, hoc flagitium dignissimum profectò sit, ut non modò nos ipsos bello defendamus, sed ipsum illum immanem Tyrannum opprimamus aliquando in suis illis Hispaniæ regnis: Hæc enim consuetudo, hoc jus belli universis mundi populis, ab ipsa natura, ab ipso Deo immortali concessum esse videtur. Legatus populi Romani si aliqua ex parte violatus esset, nisi fuisset publicè satisfactum, ei civitati à Romanis bellum indici solebat: Quòd enim eorum Legati erāt appellāti superbius, Corinthum everterunt: Et Legatis suis Fidenis occisis, jubente id facinus Laërte Tolumnio, Rege Vejentum, statuas in Rostris posuerunt, statimque bello infestissimo adflixerunt urbem, populumque Vejentum: Iidem Tarentinos calamitosissimo bello sub imperij sui jugum redegerunt, quum Legatos suos contempsissent paullò lascivius. Sed transimus antè pedes posita, & alia longè remota sumimus. Quòd enim nostra ætate Fregosius, & Rinco, Legati Regis Francorū occisi sint, connivēte, vel annuente potius ad immane facinus Imperatore, tota penè Europa bello cōflagravit: Romani enim suo olim exemplo, factoque prudentissimo ostenderant, quid in

isto detestando scelere Imperatorem facere oportuisset, Quùm illi Manlium, & Minutium, & postea etiam Fabium, atque Apronium, vinctos hostib. traderent, quòd paullò levius violassent eorum Legatos, sicuti cavetur fieri jure Feciali. Atque hoc jus Legatorum cùm hominum præsidio munitũ, tùm etiam Divino jure vallatũ esse sacræ litteræ, monumẽtaque attestantur: Nam certò scio neminẽ Principẽ, majore cum severitate vindicasse mortem, vel iniuriam suis Legatis illatã, quàm qua Rex, & Divinus Dei vates Dauid, Hannonem Regem Ammonitarum ultus est, quùm ad infamiæ notam, ipsius Legatis barbam, ungues, vestesque præscidisset: Quãtã, Deus bone, supplicia? quãtæ cædes, quàm atroces, quàm inauditæ hujus sceleris caussa editæ? Sed dies me deficiet, & ut Aulus Varius, qui est habitus judex durior, dicere solebat, quùm datis testibus, alij tamen citarentur, aut hoc testium satis est, aut nescio quid satis sit: sic à me satis exemplorum dictum est, ut probem, quàm indignum Principe & quovis homine sit, publicum Legatum occidere, dignumque sit huiusmodi scelus bello & morte ulcisci: Tale enim Legati nomẽ esse debet, quod non modò inter sociorum jura, sed etiam inter hostium tela incolume versetur: Id tamen si quando contigit, ut Barbari quidã homines, atque Principes, necessitate, vel aliqua caussa alia in hæc cõsilia inducti Legatos suorum hostiũ occiderint, hoc clàm & per tectas fraudes fieri curarunt: At Philippus, hic immanis totius Euro-

ropæ

ræpæ Tyrannus(neque enim amplius me continere possim, quin ita illum appellem) Philippus Legatum subditi,non hostilis populi,publicâ judicum sententia condemnari, palàm à carnifice obtruncari jussit; ob eam caussam, quod ad eum venisset cum supplicatione pro salute Patriæ, cum legatione Belgarum. Hunc Belgæ Principem amare,diligere,obseruare potuerunt? Hujus imperijs obsequi voluerunt? Quid? illi nihilo minus, tanquàm obliti omniū iniuriarum, & quotidiè,& summa cum expectatione desiderabant illius aduentum, illiusque præsentiam maximo desiderio concupiebant: Nam per litteras sæpius, & per legatos aliquoties id à Rege seriò postulatum fuit, ut ipse aliquandò rediret in Belgium,ipse videret qua voluntate,quo animo paratus quisque esset ad justa illius, & honesta imperia suscipienda & seruanda,ipse restitueret & constitueret,si quæ Præfectorum severitate,vel malivolentia minus rectè tractari potuerant, ipsius denique sua modestia & benivolentia restauraret, & in meliorem ordinē reponeret, si quæ suorum subditorum negligentia & incuria concidissent, præterque voluntatem suam accidissent: Et tandem huc usque nostri Ordines Regem suis precibus commovisse semel atque iterùm crediti sunt, vt se in Belgium reversurum,& hæc omnia facturum sit pollicitus. Tum verò quanta lætitia perfusi omnium animi? quāto studio,& voluntate Ordines expectarunt Regem & Principem suum? quantæ pompæ & apparatus nobi-

lium omnium fuere? quanta alacritas & gaudium universæ plebis? Et súptus istos infinitos & immensos quis recenseat, quos universa Respublica mirâ liberalitate, & maximo animi adfectu, lubenterque profudit, in instruendis & adornandis duabus classibus; ut unâ earum persona ipsius Regis, Regijque comites, ministri & milites veherentur: eaque in Hispania jam dudum omnibus rebus copiosè referta & parata in ancoris stabat, ad nutũ arbitriumque Regis: altera verò in Zelandia expedita, ut Regi obuiam progrederetur ad majorem tutelam & pompam, expectabat, quoad primum ille naves conscendisset. Tantum fuit omnium Belgarum in Regem studium, tanta benivolentia, tamque singularis in illum voluntas, vt licet tot malis & iniurijs, illius imperio exagitati, tot tantisque Reipub. periculis, illius jussu & mãdato turbati consternatique fuissent: tamen illum videre & adspicere in Patria, in Repub. sua; illum excipere, amplecti ulnis suorum beneficiorum magnoperè desiderarint, quem quotidiè absentes omni obsequio colebant. Exposui ferè, uti potui, quæ in Principis Margaretæ præfecturâ gesta sunt. Nunc de DVCE ALBANO pauca etiã erunt dicenda. De quo primùm hoc dicam, quòd, quemadmodum de Hannibale Carthaginiense proditum est memoriæ, quòd is puer adhuc novem annorũ, ad aram patri suo jurarit, se semper hostem fore Romanis: ita hic Albanus à natura genitus videbatur,

tur, atque educatus in odium, perniciemque noſtrã. Hic enim non ut alij, velut Prorex, vel Præfectus quidam in Belgium venit, ſed tanquam hoſtis, cum armata manu fines noſtros ingreſſus eſt, cum ingenti exercitu Hiſpanorum, aliorumque militum veteranorum, evocato è Regnis & præſidijs Siciliæ, Neapolis, & Mediolani: Cui Rex in mandatis dederat, uti ſtrenuè pergeret turbare, & inuertere omnem Reipub. noſtræ ordinem: clàm & palàm occidere, quicumque ſuo imperio obſtaret: trucidare eos, qui tantillùm negligerent Romanam Religionem. Hunc Philippus præfectum, & cum hujuſmodi imperio gubernatorem Belgio præfecerat, quantumuis etiam is Regi nulla ſanguinis affinitate coniunctus eſſet, qualem leges noſtræ præfectum requirunt: Hunc Belgæ maximo cum honore & dignitate, maxima cum obſeruantia, & obſequio exceperunt, ad ciuitates ſuas, & Rempub. admiſerunt, quùm à Rege, à Principe ſuo hujus curæ atque tutelæ ſe commiſſos traditoſque eſſe intelligerent. Sed ut primùm Albanus Belgij urbes eſt ingreſſus, paratus deijcere nos in omnem caſum humanum, in quo nomen poni ſolet calamitatis, longè alia ratione voluntatem, imperiumque Regis procurare cæpit: Statim ille omnes magnates, proceres atque nobiles proſcripſit, diſpulit, ejecit ex univerſis Belgij Provincijs, qui vel in libello ſupplice nomina dederant, vel ſe in illius conſilij, de defendẽda libertate Patriæ, ſocietatem, tanquam in equum Trojanum cum principi- 253

bus viris includi passi fuerant. Et licet Margareta Parmense imperante, infinita hominum multitudo per Episcopos & nouas leges, Religionis caussa, igne, furcis, aqua, gladio perijsset: tamen ea via & modus non est illi visus sat benè constitutus, quin alius haberi posset, quo plures occiderētur. Itaque alium Senatum instituit, qui præesset condemnandis & mortis supplicio adficiendis omnibus ijs, qui Religionis & rebellionis suspecti viderentur, Hoc vocabant proprio nomine, *Sanguinis consilium*: Quo quanquam adeò per omnium jugula & vitam grassaretur, ut totum penè Belgium brevi velle videretur implere sanguine innocentissimorum hominum: tamen satiari nō potuit crudelissimus Albani animus, nec restingui illa diuturna sanguinis sitis: Nam nondum sat sanguinis humani effusum existimabat, quùm octodecim millia hominum interijssent, quos se gloriabatur solis vinculis, verberibus, gladijs, atque omni supplicio carnificū excruciatos necavisse: Vt sanè opiner ego Albanum, Felicis nomen sibi parare crudelitate voluisse, dum eam sibi tāto honori & laudi tribuit, quanto L. Sullam in Triumuiratu sibi vendicasse legimus, quòd quatuor legiones aduersarū partium, quæ se illius fidei in publica villa dederant, jussisset obtruncari, aliaque ejusmodi crudelia & atrocia facta edidisset. Sed inter res præclarè Albani auspicijs aut ductu gestas, de quibus tātùm gloriatur, illud potissimùm celebrat, quòd in duos magnates, Comitem Egmondanum, & Hornanum,

num, aliosque nonnullos illustris familiæ nobiles, falsò rebellionis crimine condemnatos, gladium carnificis Bruxellis stringi curaverit; Quæ tùm supplicia, quàm acerba Patriæ? quàm gravia bonis omnibus? Hæc autē, quæcumque loquor, ac deinceps loquar de Albano, aut quovis alio Præfecto Belgij, ita habete Principes, ut nihil eos instituisse, nihilque ab ijs factum esse existimetis, cujus rei non modò conscium Philippum, sed autorem non habuerint: Ibant enim, & redibant quotidiè ex Hispania, & Belgio ultrò citròque tabellarij, & nuncij horum consiliorum omnium; Et nisi Regis voluntate autoritateque hæc omnia facta gestaque fuissent ab his Præfectis & consiliarijs, non adfecisset sanè eos majorē honore, dignitate, & munere, tanquam in rei benè gestæ laudem, postquàm eos ex hisce Provincijs ad se vocauit; Cardinalem Granuellanum, Viceregem Neapoli constituit: Albanum Portugalliæ Regno præfecit; & tanquam patrem suum observavit: Vt ipsum Albanum fateri certò sciam, sui Philippi jussu imperioque exegisse se per vim atque arma iniquissima, à nobis tributa decimarum & vigesimarum: Vbi non tantùm à consensu Ordinum, sed verò ab ipsis legibus & ratione discessit, quùm quicumque hisce exactionibus suis opponeret verbū aliquod libertatis, atque legum Reipub., eos statim mulcta & morte coërceret. Nā illud inscio quidem suo Philippo suæ solius autoritati concessit, quòd consulem Amsterodamensem, istis suis iniustissimis tribu-

tis

tis aliquid obmussitantem emunxerit mulcta aureorum bis mille quingentorum: Sed hoc ipsum fatetur Albanus esse in suis fraudibus, veniemus ad splédidiora: Crudelitatem quæso hominis, vel, ut dicam verius, efferatissimæ belluæ attendite. Gustaverat jam antè civilem sanguinem Albanus, quem postea havebat plenis etiam faucibus haurire, & huic libidini suæ destinaverat septédecim primorum Bruxellæ civium jugula, quos ille cives non aliam ob caussam, nisi quod istis iniquissimis exactionibus vel verbo restitissent, una nocte strangulari omnes jusserat: Et videte quantum studium, cogitationes, tempus poneret Albanus in supplicijs exquirendis & ordinandis, quùm ille, tanquam bonus carnificum magister dictaret, quæ potissimùm supplicijs servirent instrumenta, quomodo aptari illa & componi vellet: dixerat enim magistro Carolo carnifici, uti paratas haberet septemdecim cordas, strangulandis istis, quos dixi, civibus: haberet totidem scalas, decem & duodecim pedum longitudine, & de nocte id facinus exequeretur: quanquam ab hoc supplicio destiterit Albanus, quùm rebis omnibus jam constitutis, militibusque ad tutelam rei & securitatem paratis, superueniret tabellarius nunciatum, à nostris hominibus Brilam urbem recuperatam esse. Haud multò post, tanquam in hostili agro versaretur, crudelissima bella exercuit, præcipuas urbes obsidione cinxit, inuasit, calamitosissimis incendijs, deprædationibus, horrendis cædibus vastavit, evertit &

tit & exstirpavit: Non pacta, condicionesque ullæ, quibus pleræque urbes fidei illius traditæ sunt, illum avertere potuerunt à crudelissimis latrocinijs, & inauditis sceleribus. Quùm Nardenum urbem cepisset, primùm quadringéti cives è domibus in curiam evocati, tãquam in loco publico audituri, quod bona fide pepegerant cum hoste, vitam & bona salua fore, omnes interfecti sunt; Inde milites Hispãi effusi in omnes libidines, & latrocinia: mulieres, viduæ, virgines honestissimæ constupratæ primùm, deinde interfectæ: pueri, infantes innocentissimi, qui ejulatu atque lacrymis commovere rabiem crudelitatis debuerant, hastis excepti, divulsi, dissectique fuerunt: Quæ profectò omnia tam horrenda, tamque indigna exstiterunt, ut in dies adhuc omnes gentes exhorrescant ad hujus rei memoriam. Ecquæ tandem est illa inhumanitas, quæ feritas, qua Harlemum, aliasque urbes oppressit, & sanguine civili opplevit? Adeste Phalarides, accurrite Busyrides, Sullæ, Nerones, Domitiani, Caligulæ: Adspicite, miramini, obstupescite sævitiam Albani: Annon illius magna crudelitas & vis erat, cujus nullum membrum flagitio aut scelere vacabat, lingua fraudis & perfidiæ plena, manus cruentæ, pedes celeres ad exitium & interitum Reipub., quæ honestè nominari nequeunt, inhonestissima? Sed ne fortè ex multis rebus gestis Albani, rem unam pulcherriman transiliat oratio, Quem potes recordari in vita tibi, Albane, illuxisse diem lætiorem, quàm quùm 255

 occisis

occisis per insolita & exquisita supplicia, tormentaque tot millibus innocentissimorum hominum, iniecto jam omnibus Belgis maximo Tyrannidis tuæ metu, dissipato concursu omnium nobilium cum Principe Orangio, trans Mosam flumẽ, Antvverpiam redijsti, & statuam illam tibi ipse erexisti, monumentum Tyrannidis tuæ, omniumque Hispanorum? Arrogantiam hominis & insolentiam, quæso, cognoscite, Principes: Statuam sibi posuit Albanus in medio castri Antvverpiensis, formâ quidem ejusmodi, uti erectus ille pedibus conculcaret, atque contereret terga Ordinum, populique Belgici ad terram prostrati: Has sibi statuas, hæc tropæa ipsus nemine decernente erigi insanus victor curauit. Quid erat reliquum, nisi ut Triumphum insuper se dignum ageret? vt sedens in paludamento sanguine civili tincto veheretur: vt publicus minister coronam recenti cruore madentem, stillantemque porrigeret: ducerētur vincti ante currum pupilli, & viduæ Belgarum: præferrentur in spiculis infantium corpuscula, & capita tot innocentissimorum hominum: ostenderentur simulacra incendiorum, depopulationum, vastationum, atrocissimarum cædium & occisionum; Currus verò Triumphalis ageretur per cadavera nostrorum Ordinũ, ac Patrum Patriæ: Deinde sequerentur hunc insignem Imperatorem, tot millia lictorum, carnificum, tortorum, sicariorum, cum strictis gladijs, virgis, funibus, fustibus, vinculis, & tormentis. His ergo tot iniurijs

&

& calamitatibus provocati omnium Provinciarum Ordines,ea, qua dixi,animi fortitudine,& consensu decreverant profundere & vitam, & facultates, possessionesque omnes, pro vindicanda salute libertateque communi Belgarũ: Tametsi, ut sapientem & bonum quemque civem semper decet, initia belli civilis inuitum suscipere, extrema non lubenter persequi; ità illi ægrè admodum,& coactè arma sumpserunt: quippe qui videbãt nullam aliam viam superesse, ad effugiendam ignominiosissimam mortem,seruitutemque detestabilẽ Hispanorum; Non litteris, non precibus, non legationibus suis: Non tuis, Imperator,Non vestris,potentissimi & serenissimi Principes, intercessionibus ullum locum dari,tantum sola arma reliqua esse, quibus à suis ceruicibus possent seruile jugum deijcere. Vt si cui igitur naviganti,quem prædones insequuntur, quis dixerit,eijce te de navi, præsto est qui excipiat vel Delphinus, ut Arionem Methymnæum : vel equi illi Neptunij,qui aliquando per undas currus suspensos rapuisse dicuntur, excipient te, & quo velis perferent; omnem omittat timorem : Sic urgentibus tot asperis & infinitis malis, Ordines Deo freti confugiunt ad arma,in ijsque ponunt solam spem recuperandæ libertatis:quam statim ab initio augere & excitare cæpit, summum illud & cæleste Numen, quùm & Brilam cepissent & Vlissingam,aliaque Belgij propugnacula, & præclarà cum animi magni virtute rem gessissent, ut jam sedatiore nisu Hispani progredi

256

gredi in illo Tyrannidis suæ stadio inciperent; atque adeò subornarent nonnullos, qui à se Belgis pacem promitterent, si eam ipsi vellent supplices à Rege deposcere. Ità nostri, quòd labefactari Patriam bello nefario viderent, concordiæ & compositionis auctores esse non destiterunt. Vtinam verò illa Ordinum de pace consilia nunquam cogitata fuissent, sed eorum de perpetuo potius bello Hispanis inferendo, animi omnium consensissent! Respublica staret, hostis jam suis flagitijs, fraude, infamia concidisset: Tamen, quùm adhuc superessent in animis nostrorum hominum nonnulli igniculi, sui in Regem, in Principem suæ Reipub. adfectus & benivolentiæ, ipsi summa cum modestia, & humanitate postularunt æquissimas pacis condiciones, quas se perpetuò seruaturos addixerant Hispani: sed id falsa simulataqne fide receperant; ut videlicet tantùm à labore, & onere militari respirarent; posteaque majore vi arma exercerent. Nā eodem anno iterùm totius Belgij percursatio à crudelissimo hoste secuta, in oppida misera militum reductio, in urbibus auri, argenti, bonorumque omnium ab optimis civibus direptio: Antvverpia verò tota, ità miserè crudeliterque vastatur, diripitur, ut hujus unius cladis, & cædis historia in nostris annalibus, justo libro describatur: Leida secundùm obsessa maximo cum periculo & noxa fortissimorum civium: Tentatum deinde Trajectum, urbs ad Rhenum vasta & potens, consimili, ac pari crudelitate, qua paulò

antè

antè Antvverpia. Itaque gens noſtra, quæ cum magno præteritarum calamitatum dolore præſentem cõiungebat, crudelem dominatum diutius ferre noluit, rediijtque ad primam belli virtutem: recepit aliquot oppida, & ſignum omnibus oſtendit ad benè de Repub. ſperãdum: Sed Hiſpani ſecundò fraudulentam manum inijciunt huic ſpei noſtræ, rurſuſque Belgis pacem offerunt: In quam eos facilè inducunt, quùm jam dudum optimus quiſque deteſtaretur hujus belli clades, atque moleſtias, & priſtinæ quietis recordatione haud difficilè moverentur ad ejuſmodi pacis conſilia; quæ omni ſimulatione, & dolo carere crederentur: Vt enim quiſque eſt vir optimus, ita difficilè alios eſſe improbos ſuſpicatur. Ergò Maximiliani ſecundi Imperatoris interceſſione, Bredæ ſtatuitur nova pax, cujus Hiſpanis idem fuit initium, idemque finis: Illi enim interea bellum reſtaurabant, & deſignabãt oculis ad cædem, unumquemque noſtrûm: atque hoc ipſo anno bello inuadunt urbes Buranum, Lerodamum, Oudevvatram, obſident Zirxzæam, redeunt denique ad vaſtationes & incendia agrorum, ad ſupplicia atrociſſima civiũ. Hæc autem omnia, aliaque multa evenerunt regente & adminiſtrante Rempublicã REQVISENIO, quem, revocato ex his Provincijs Albano, Rex per idoneum dignumque judicaverat, ut & imperio illius, & rebus, quas paullò antè enarravi, ab illo geſtis mertiò ſuccederet: Tametſi in primos hujus Præfecti conatus & ſtudia, per varias Tyrannidis Hiſpa- 257

 nicæ

nicæ artes quasi quadrigis acta, transuersa incurrerit misera & inopinata mors: Vt quæ iccircò per hunc Rex Hispaniæ perficere non poterat, ea novis & indignis fraudibus, insidijsque Hieronymi à Rhoda posteà experiretur, Qui statim à morte Requisenij, à Rege Ordinum consilio est adhibitus, ut unanimi cum ipsis conspiratione gereret Rempub., & castigaret, cõpesceretque gravissimos tumultus seditionesque Hispanorum militum, qui Alostum, Trajectum ad Mosam, Antvverpiam, reliquasque urbes istis inauditis cædibus, incendijs, ac depopulationibus vastaverant; Et quidem eò fuerat redacta res, vt populatores illi hoc nomine tanquam seditiosi, & hostes statim proclamati & proscripti sint: Sed haud multò post Hieronymus à Rhoda Hispanicis fraudibus caput seditiosorum factus, utitur sigillo Regio, seseque, spretis Ordinibus, Gubernatoris loco palàm haberi cupit. Hac perfidia magnoperè commoti & offensi Ordines, sese Principi Orangio, & Hollandis, Zelandisque unanimes jungunt, Hispanos omnes solo Belgico eijciendos decernunt, ijsque bello atque armis perpetuò, fortiterque resistendum esse: Nec interea suum in Regẽ officium negligunt; imo verò sæpius, & obnixè illũ precantur, uti Hispanos populatores evocet è Belgio, puniat ob hujusmodi crudelitatem & insolentiam, qua maximas præcipuasque urbes Belgij adflixerant. Quid fit? Rex Hieronymum collaudat, gratam sibi fuisse operam ipsius testatur; promittit autem illi ceterisque Hispanis hono-

honores, præmiaque digna factis, Ex quibus certò constare potuit, hæc omnia Regis primùm consilio & consensu instituta, gestaque fuisse. Igitur quùm nihil Rex hac via effici; à Belgis verò etiam fraudes suas intelligi, serióque bellum adornari videret, aliam viam ineundam ratus, pro pelle leonina vulpinam induit; Pacem proponit: Accipiunt eam Ordines bona fide, neque cogitant alium latere anguem HISPANICÆ perfidiæ in ista herba: Nam hæc pax solennis habebatur, tantoque jurejurando Principis Ioannis Austriaci postea superuenientis confirmata, & tanta prudentia nostrorum Ordinum determinata fuit, ut tum denique liberati per viros fortissimos, omnes viderentur, & jàm omnem civilis belli luctum quisque abstergeret. Hæc fuit pax illa pactioque Gandavẽsis, de qua nunc pauca dicam, dum IOANNIS AVSTRIACI, quẽ Rex ad Belgij præfecturam id tẽporis ex Hispania ablegaverat, facta recensebo, vosque rogabo, Serenissimi Principes, uti me deinceps loquentem benivolis animis audire pergatis, & cognoscere penitus, quapropter à nostris hác pacẽ violatã esse HISPANI falsò criminentur, quod ego gravissimũ crimen esse judico. Nã quùm præ ceteris hujus Pacis legibus, hæc una maximi ponderis esset & momenti, ut Austriacus non admitteret ad consilia sua Hispanos vel exteros, & quorum operâ constabat Provincias peruenisse in extrema exitia, ille contrà tales vocavit ad se, ac recepit in aulam,

in

in conclavia sua. Nam præter Babtistâ Taxim, insignem speculatorem nostrarum rerum, qui, quùm paulloantè Duci Albano fuisset à secretis, statim arcanis consilijs Austriaci non admotus tantùm, sed etiam præfectus est, Et præter Octavium Gõzagam, hominem Italum; etiam insuper Escovedum adscivit, callidum illud fraudium Hispanicarũ ingenium: Sed & Belgas aliquot his adiunxit; eos nimirum, qui aliqua ex parte autores & fautores fuerant tantarum calamitatum, inuisos Patriæ suæ, & bonis omnibus; Barlemontium, Meganum, Hiergium, Flojonum, Hautepennum, Assonuillium, aliasque Patriæ pestes, quæ istam legem à Lentulo, Catilina, Cassioque constitutam, suis sententijs, factisque probaverant & confirmaverant, uti omnes qui salua Repub. salui esse vellent, in hostium numero haberentur. Istorum igitur opera & consilio statim initio hujus pacis, Gandavum ipsum diripuissent Hispani, nisi eos prohibuissent salutaria Ordinum nostrorum consilia & auxilia. Austriacus verò haud diu continuit odia sua in Belgas, & inimicitias, quin sacramentũ illud sanctissimum facilè deponeret ex animo, quo ad sacra Evangelia, coràm Episcopo Buscoducensi, & Nuncio Pontificis receperat, acturum se cum militibus omnibus, qui quatuordecim millium numero in Provincijs hærebant, de stipendio, quod illis debebatur, ut deinde omnes dimitterentur, quemadmodum erat in pactis & condicionibus constitutæ pacis: Ille enim nova & majora militi-

bus

bus promittit à Rege ſtipendia, honores, præmia, & ſceleratiſſima conſilia agitat cum Frunſbergio, & Fuggero ducibus Germanorum militum, quæ partim ad exitum poſteà perduxit, partim à noſtris impeditus exequi non potuit. Sed quò facilius hæc omnia perſpicere poſſitis, rem geſtam vobis paulló preſsius explicabo: Nam in his duabus potiſſimùm condicionibus; In obſeruatione Romanæ Religionis, & legitima juſtaque Regi obedientia præſtanda, verſabatur omnis pacis compoſitio: Quæ quidem quùm Ordines ſe præſtituros ſanctè jurarent, id ſimul etiam conceſſum illis fuit; ut quæ primo ſtatim initio rerum mutari in Repub., & reduci ad has pacis compoſitiones minus poſſent, ea exactius fierent, & perficerentur proximis Ordinum Comitijs. Auſtriacus verò, cujus animus, per malas & tectas artes violandæ pacis deſiderio, gerendique belli cupiditate flagrabat, neglectis iſtis condicionibus & promiſſis, ſtatim redit ad eas querelas, quas tanquàm velum aliquod Philippus & ſuperiores Præfecti omnes ſuis in Rempub. ſcelenibus prætenderant, de neglecta Religione Romana ab Hollandis & Zelandis, deque prætermiſſis hoc modo Regijs mandatis: Hanc ille incudem diem noctemque tundere, compellare, & fatigare Ordines, poſtulare, ut omnes unà ſecum civilia arma ſumant contra Hollandiam, Zelandiam, & Principem Orangium, Præfectum harum Provinciarum, & eximium iniqui dominatus Hiſpanici depulſorem: cujus in Rempub. univerſam

magna exſtabant beneficia: Hoc enim conſilio Auſtriacus duo magna ſuis inſtitutis commoda, atque uſus ſpectabat; Vt & Provinciæ per inteſtina bella exhaurirentur bonis & facultatibus, & eas ipſe poſtea proprio bello attritas, commodè omnes opprimeret. Quùm igitur ad iſtas querelas, tanquam ad ſaxa quadam tempeſtate delatus, perpetuò adhæreſceret, Ordines reſpondent, præſtare, & eſſe ex uſu Reipublicæ, ut res per amicas cõuentiones in Comitijs tranſigatur, & mutetur quicquid ſit de quo queratur Auſtriacus: Quod ipſum ſi perſuaſiſſent, in has miſerias civilis belli nunquam incidiſſemus: Quid enim magis contra Rempub. eſt, & contra omnem naturam humanam, quàm quæ lites ratione & jure decidi queant, eas armis & bello decernere? Archidamus nõ Chriſtianæ quidem, ſed longè prudẽtiſſimæ graviſſimæque gentis Rex, adfirmabat nefas eſſe in eum arma ſumere, qui paratus eſſet jure cauſſam agere: Et Romani non ſtatim ad arma conuolabant, ſi quæ iniuria aut vis illata ijs fuiſſet, ſed primùm mittebant *Clarigatum*, id eſt, res raptas clarè repetitum. Sed quam ego nuper vidi, quam obſeruavi utiliſſimam & ſumma cum prudentia conſtitutam cõſuetudinem Venetorum? Enimuerò illi ne privatos quidem feliciſſimæ ſuæ Reipub. nobiles patiuntur de minimis iniurijs inter ſe contendere, aut odia & inimicitias fovere, ſed eos in ſenatum ſuum vocãt, precibus, monitis rogant, hortantur, uti ſe omnes Sancti Marci (quod illi ſuæ Reipublicæ

nomen

nomen indiderunt) filios esse meminerint, fratres & cives tantæ libertatis & felicissimi imperij: indignum esse ijs alere privatas simultates & dissidia, quæ postea in publica converti queant, summo cum periculo Reipub. Quæ profectò consuetudo in publicis potissimùm negotijs valere, atque in omni benè constituta Repub. locum obtinere debebat: Ita enim non videremus urbes urbibus unius sæpè provinciæ vel Reipub., nobiles nobilibus ultrò citròque bella, clades, eversiones, incendia minari, vimque inferre. Quarè, ut ad id, undè digressi sumus, revertamur, quùm duo sint genera decertandi, Vnum per disceptationem, Alterum per vim: quùmque illud proprium sit hominis, alterum belluarum: & omnino fugiendum sit posterius, si uti liceat superiore; Ordines sanè bono & saluberrimo consilio, tantas quæstiones ratione potius & colloquijs tractari, quàm bello & civili sanguine augeri maluisse sentiendum est: Ille contrà statim publica voce queritur de omnium Ordinum globo, rebelles omnes proclamat: & jam nō amplius ex insidijs, sed apertè & palàm elaborat, agitatque cum Germanis militibus consilia Reipub. perniciocissima, quæ jam dudùm occultata, tùm demùm apertius tractare cæpit, quemadmodum res ea omnis postea Ordinibus cōstitit ex plurib. litteris, quæ tabellarijs excussæ fuerāt: Pleraque autē quotidiè oculis perspiciebant; Primùm quum universā aulā familiamque, & socios cōsiliorū transferre in Montē Hannoniæ urbem validissi-

mã & suis cõiurationibus opportunã, eamque urbẽ firmare præsidijs militũ voluit. Prætereà quum fraudibus occupare castrũ Antvverpiense adeoq̃ inuadere ausus est Namurcũ & Carolomõtiũ urbes munitissimas, easq̃ munire vigilijs suorũ militũ: & quùm postea tentavit ex insidijs urbẽ Bruxellensem capere. Vti jam multis illius & firmissimis præsidijs obsessæ & oppressæ præcipuæ civitates essent, & jam cõmovere se omnino contra Rẽpub. inciperet, aliaq̃ permulta fierent eius suasu & cõsilio, qui Sacramenti sui ratione auctor esse debebat, vt milites ex omni parte arma ponerent, & ex Provincijs subitò discederẽt: Quæ quùm Ordines manifestè cernerẽt, judicarẽtq̃ illud tẽdere in perniciẽ Reipub., manendũ sibi statuebãt quasi in vigilia quadã senatoria, nec à Repub deijciebãt oculos ex eo tempore, quo primùm ille hæc omnia agere instituit. Itaq̃ summo cum obsequio & modestia, nulla adhuc animi perturbatione cõmoti mittebant Marollæũ & Brusum ad Austriacum, cum hac Legatione, vt satisfactionem illorum, innocentiamque proponerent, illosque expurgarent ab omni suspicione, quam malitiosè ab ipso simulari certò sciebant: vt præterea iterarent fidem datam illi per Pactiones Gandavenses: Promitterent, Ordines esse diligentissimè inquisituros & rigidè animaduersuros in istos sicarios & coniuratores, quos in vitam suam conspirasse, seque ob id Namurcum concessisse dicebat: offerrent illi præter eos satellites, quos habebat ad tutelam corporis, alios trecentos lectissimos gravis armaturæ milites; eosdemq̃ omnes Belgas, quæ res

nemini

nemini ante illũ præfecto obtigerat: Verùm nihil actum hiſce ſupplicationibus, nihil modeſtia, nihilq̃ rationibus effectũ eſt; Imò verò non tenebat iſtã perditã audaciam Auſtriacus, quin in hac legatione liberrimè ſignificaret Marollæo, & jactaret ſe jã certò ſibi polliceri urbẽ Antvverpienſẽ, nec dubitare quin ſit ea ad ſuum arbitrium & imperiũ reducta redactaque: Militẽ & pecunias nõ deeſſe ſibi, parata ſe habere omnia ad bellũ gerendũ, & conciliandam ſibi majorem autoritatem, imperiumque, quàm ſibi ab Ordinibus pactione Gandavenſi conceſſum addictumque fuiſſet: Placere etiam ſibi ut Legatus hæc omnia Ordinibus renunciaret, nihilq̃ eos cælaret, quod ad hoc ſuũ conſiliũ, voluntatéque pertinere intellexiſſet. Res certa eſt, & jã olim nota; nullis ut teſtibus in hac re opus ſit. Etſi verò miſerũ eſt id negare nõ poſſe, quod ſit turpiſſimũ confiteri, tamẽ ne ipſos quidẽ Hiſpanos (impudẽtes aliàs plus quàm credi poſſit) hoc unquã negaturos puto. Scripſerat quoque ad Trolõgium, alioſque cõſcios & ſocios ſuarũ fraudiũ & inſidiarum, ſe bona civiũ Antvverpienſium quaſi Cimbricã prædã dono & rapinæ militibus dare: Iamq̃ milites, tanquã infenſiſſimi hoſtes, diu noctuq; vagabantur per urbẽ, exigebãt civibus quæcunque vellent: plerique autẽ honeſtiores cives abire ex urbe & exulare incipiebant; & ipſa adèo mercatorum navigatio conquieſcere. Hæc omnia quanquam magna & manifeſta eſſent hoſtilis animi indicia: tamen moderatè ferebãtur ab Ordinibus, & profectò pertuliſſent, niſi adhuc clarius & plenius conſtitiſſet, quàm exitioſa 261

 quàm-

quamque calamitosa facinora moliretur Austriacus. Vt enim is, qui primo adspectu inanimum quiddam sensuque vacuũ se putat cernere, post autẽ signis certioribus quale sit id, de quo dubitaverat, incipit suspicari, Sic Ordines ex ijs omnibus quæ viderant, intelligebant facilè Principem fovere animo & cõsilijs aliquod odium Reipub. perniciosum: sed quale illud esset, & quatenus profundere illud constituisset, postea ex litteris illius aliorumque apertè judicarunt. Nam in Vasconia fuerant excussæ tabellarijs complures epistolæ: Duæ videlicet ipsius Austriaci Principis ad Regem: una ejusdem ad Antonium Perets caput suorum consiliorum: quinque præterea Escovedi ad Regem, Ex quibus Ordines certò cognoscere poterãt monstra ali, tectaque agitari consilia: misceri magna dissidia in Belgio inter civitates, interque nobiles, quaque occasione id fieret, & quantum id cõferret Tyrannidi & Inquisitioni ex decreto Hispanico introducẽdis stabiliendisque: seriò postulari à Rege militem, arma & omnem belli apparatum. Agnoscite, Illustres Principes, tecta illius hominis consilia, audite verba, quibus in litteris ijs, quas paullò antè interceptas dixi, ad Regem usus est; *Quandoquidem hoc corpus ita malè adfectum est, vt aliter curari nequeat, quàm sectione eorum membrorum, quæ male se habent, videndum omnino est, vti hac occasione oblata utaris.* Adiungebat autem Escovedum reliqua fusius, tanquam bonum suæ mentis interpretem scribere, quæ ipse nolebat indicare: Is audaciæ & proditionis

tionis ſatelles atque miniſter erat, cui Eſcovedi nomen à natura & moribus datum fuiſſe arbitror, quod fraudibus miſeros Belgas ineſcaret: is hæc ſcribebat ad Regem, quæ illum Auſtriacus ſcribere voluerat; Fieri omnino non poſſe, uti ulla ratione & modo Belgæ ſe ſubmitterent meræ abſolutæque obedientiæ, & voluntati Regis, niſi primùm igne & ſanguine coacti fractique eſſent; atque ideò militibus & armis opus eſſe, remque bello conficiendam: Tùm verò tanquam bonus quidam Tyrannidis Hiſpanicæ architectus ſignificabat, nõ eſſe perpetuò adhibendã eam ſeveritatem & crudelitatem, qua Albanus & Requiſenius abuſi fuerant: ſed majore cum dolo & ſimulatione circumueniendos Belgas eſſe. Nam ut in navigãdo tempeſtati obſequi artis eſt, etiamſi portum tenere nequeas: quùm verò id poſſis mutata velificatione aſſequi, ſtultum eſt eum tenere cum periculo curſum, quem cæperis, potius quàm eo cõmutato, quò velis tandem peruenire: Sic ille exiſtimabat remittẽdum eſſe aliquid à primo Hiſpanorum furore atque rabie, ſimulata fide & promiſſis agendum eſſe: ita fore vti Princeps Ioannes rem feliciſſimè gereret, qui incredibili eſſet temperantia, animoque inter ambitionem ſævitiamque moderato: Suadebat autẽ ſuo & Principis ſui conſilio, ut primùm Angliæ regnum bello occuparetur, quo fieret uti Provinciæ Belgarum nullo negotio ſuperarentur. Præterea quas Auſtriacus litteras dederat ad Antoniũ Peretz ſingularem amicum ſuum, ijs ſcribebat ſe eo animo 262

& in-

& ingenio à natura comparatum esse,ut quietus in otio viuere, & jura pacis tractare nequiret: nec verò etiam ferre suum illud ingenium posse, ut se legibus & privilegijs Belgarum totum submitteret, velle potius se armis Regi parare merum aliquod,& omnibus numeris absolutum in Belgas imperium. Quod si igitur nondum satis cernitis, Principem Austriacum violasse primùm hanc pacem Gandavensem, quùm res ipsa tot tàm claris argumẽtis signisque luceat, recordamini, per Deum immortalẽ, qui fuerint illius sermones, quos ad Ordinum nostrorum legatos habuit in Marca Faminæ urbe: Quùm diceret se seruaturum hujus pacis condiciones,quoad illum initi fœderis pœniteret; hoc est, donec Ordines illius blanditijs, & simulata fictaque lenitate consopitos aliquando cõficeret, & cum illis opprimeret universam Rempub. Nam mortuo postea Austriaco Rex Philippus id nobis certò eventurum fuisse apertè ostendebat, tùm, quùm per Dominum Sellæum Mechliniæ Ordinibus significari & annunciari jusserat, se velle infringere has pacis leges, nolle se ijs longius teneri. Quam verò ob caussam? ob Romanam Religionem neglectã? Atqui nunquã illa majore studio, diligentiaq́ culta fuerat, nunquã major nostrorum hominũ zelus, ardor, contentio: jam recepti erant Ecclesiarum antistites: jam scholæ collegiaque partim instituta, partim renovata atque aucta: nihil denique prætermittebatur, quod faceret ad obseruationem rituum & ceremoniarum Eccle-

ſiæ Romanæ; adeò ut cum Italia, & cum ipſa Religionis illius primaria ſede, & velut metropoli, Roma, Belgiũ noſtrum tùm poſſet contendere: Quod ne ipſum quidem qui à Papali latere ad nos miſſus fuerat, Nuncius diffiteri potuit: ſi quidem is ad Pontificem de hac re ſcribens, Mirari ſe, ajebat, & vehementiſſimè lætari, tanta cum cura & pietate, Romanæ Religionis præcepta officiaque à Belgis celebrari. Quis autem fuerit animus, quæ voluntas, quod ſtudium noſtrorum Ordinum, ac Belgarum omnium in Regem, non eſt quod oſtendamus, non eſt quod probemus eos nihil quicquam maluiſſe, quàm Regijs mandatis ſatisfacere, hiſque morem gerere: Teſtãtur id trophæa, arcus triumphales, pulcherrimique apparatus, facti & adornati in Principis Ioannis honorem & aduentum: Qua verò congratulatione omnium nobiliũ, quo applauſu totius populi, quibus con uivijs atque epulis publicis exceptus ſit ille, & quantam denique lætitiam populus Belgicus ad hujus pacis conſtitutionem totis theatris intulerit, omnes adhuc exteræ nationes commemorant, mirantur, obſtupeſcunt, tanquam Belgæ in hoc Præfecto initium benè conſtitutæ Reipub. inueniſſent. Et quùm tu te introſpicis, Iane Princeps, in conſcientiam tuam ipſe, negare non potes, Belgas præſtitiſſe eas condiciones pacis, quas præſtare debebãt, nunquam detrectaſſe imperia Regis, dummodò illa plus quàm Manliana non eſſent, nec æquitati, legibus ac privilegijs ſuis plurimùm derogarent. Sed ut

rem unam proferam, quæ omnium admirationem superat, & quæ huic disputationi nostræ, tanquàm operi fastigium imponet; Fateri sanè debes, Ordines in se recepisse, ut Hollandos Zelandosque bello, & vi cogerent ad præstanda ea, quæ tu requirebas, & statuebas fundamenta tuæ accusationis & querelæ, si primùm juris via ratione, & colloquijs eos inducere in hanc sententiam non possent; Quæ tu omnia spernebas, & abijciebas, ut hoc velum, hic solus prætextus tuis falsissimis accusationibus maneret, & hæc caussa probabilis videretur tuarum coniurationum, quæ tamen nulla erat, neque esse potuit: quandoquidem inter omnes, nō Belgas modo, sed quoscumque exteros homines constat, qui tum ipsi rem omnem, uti gesta est, viderunt, vel postea auditione acceperunt; Hollandos, Zelandosque omni officio & obsequio semper Regis imperia, tanquàm oracula quædā suscepisse & peregisse: Nunquàm verò defuisse fidei suæ atque obedientiæ, quam naturæ legibus debebant suis Principibus. Equidem hoc certè fateor, quod immortalibus, & maximis illorum laudibus voueo, dico, consecro, Hollandos & Zelandos, primos autores reliquis Provincijs fuisse asserēdæ publicæ libertatis: Cupio enim vt aliquandò ab illius improbi hominis sceleribus ad vestram, viri prudentissimi, Ordines duarum Provinciarum fortissimi, virtutem omnis mea conuertatur oratio; Hanc ego silentio prætercam? hanc cælem, quam quisque solet crebris suis sermonibus, & maximis vestris

laudi-

laudibus usurpare? Vos semper & constanti voluntate intolerabilem,& crudelissimam Inquisitionis seruitutē recusasse: In qua si jussa,si autoritatē,si imperium Regis constitutum fuisse dicunt, atque huic vos cedere, vos obtemperare noluisse adfirmant, Est sanè quod summa cum laude vestra fateamini,vos hanc caussam præbuisse accusationibus Austriaci, hujus culpæ vos reos esse, quùm quavis alia careatis,Est quod gloriemini,vos summa cum prudentia & consilio vobis cavisse,ne unquàm his, vel quibuscumque alijs Hispanicis fraudibus, perfidia, insidijs vobis imponeretur: Vos itaque primùm summâ constantia,& animi magnitudine exarsisse ad liberādam durissima Tyrannide Rempub. Vos reliquis Provincijs omnibus facem libertatis vestræ prætulisse: diuturno hoc bello confici,mori, quiduis pati maluisse, quàm leges,jura,privilegia vestra deserere; Quod ut ita deinceps ac semper feliciterq́ faciatis, Deū, cujus solius ductu & beneficio tam præclara geritis, obnixè rogo atque obtestor. Nunc redeo ad id unde deflexi, & vestro Christiani Principes, judicio, arbitrioque offero & trado quæcumque de rebus gestis Austriaci in medium protuli; vos hæc cognoscite, judicate, loquimini quid videatur.

Quùm nihil sit ab uniuersis Ordinibus prætermissum, quod ut facerent,lege & pacto receperant: Hic verò Austriacus ex denis partibus nostrarum pactionum,quibus ille omnibus satisfacere debebat,ne unam quidem exactè præstiterit, videtis quanta cum æquitate partes istas

ſuſceperimus, ſuſceptaſque egerimus: Quùm enim cernerent Ordines, ſibi ſublatam eſſe omnē ſpem ac fidem de dimittendis tot Germanorum militum copijs: eos ipſos in urbibus, in Provinciarum faucibus collocatos eſſe: tenere Namurci & Carolomontij urbes caſtraque munitiſſima, uti Auſtriacus per ea maximum, quem litteris à Rege poſtulaverat, exercitum in Belgium reciperet: Viderent prætereа militum omnium odia in ſe conuerſa, eoſque ſummo deſiderio inhiare deprædationibus maximarum urbium, expectare modò exiguum aliquod ſignum à Principe, quo dato illi ſtatim erumperent, ſævirent in vitam, & bona facultateſque Belgarum; Ipſum verò Auſtriacum,alioſque nefarios homines, Patriæ noſtræ excidium palàm minitari: conſciorum indicijs, manu, voce, litteris ipſis conuictos, ſe urbes inflámare, nobiliſſimum, & optimum quemque civem trucidare, vaſtare Belgium, delere Rempublicam conſenſiſſe; Quis eſſet qui ad ſalutem communem defendendam non excitaretur? quis eſſet qui dubitaret optimo conſilio inſidias Auſtriaci antevertere? quis tam inconſideratus & excors ſuam ipſius vitam noluiſſet armis & bello defendere, Quandoquidem vim vi à corpore, à vita ſua ut propulſarent, quacumque ope poſſent, & ratio doctis, & neceſſitas Barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit. Vos, magni & boni Principes, qui jura veſtrorum Regnorum ſalua ſana habetis, hoc facilè cognoſcitis, hoc ſcitis ità oportere: Quid autem

autem dico vos hæc ſcire? ſciunt omnes Hiſpani, noſtri hoſtes ipſi ingenuè fatentur, & ſuo exemplo factiſque oſtendunt id juris fuiſſe & eſſe. Nam quùm Henricus Caſtellanus, homo nothus, abauus hujus Philippi Regis, ejecerit è Regno Petrum, fratrem ſuum legitimum & hæredem, quod is Tyrannidi operam dare, quod præter leges & jura Regnum ſuum procurare videretur; Quumque idem Philippus Rex quibus condicionibus Hiſpaniæ, ijſdem quoque Belgij imperio ſucceſſerit, vt leges nimirum & jura ſeruaret, ſanctèque coleret, Cur non, ut Hiſpani Petrum, ita nos Philippum iniuſto & iniquo imperio ſubditos ſuos prementem, armis repellere & eijcere è noſtris provincijs perpetuò poſſimus?

Sed vereor, Principes, ne nimium veſtra patiētia abutar, & longius, quàm ut plura adiungere debeam, oratio progreſſa eſſe videatur: Tamen hoc etiam mihi concedatis oro, uti quæ poſt Ioannis Principis Auſtriaci imperium Rex Philippus fictæ pacis fraudibus conatus eſt efficere, ea nunc paucis etiam perſequar, ut quare nulla nobis pax habenda ſit amplius, bellum autem perpetuùm cum Philippo gerendum ſit, perſpiciatis. Sunt equidem nomina pacis dulcia, & ipſa res eſt ſalutaris: Sed inter pacem & ſeruitutem illam ficta pace obtectam multùm profectò intereſt. Pax eſt tranquilla libertas: Seruitus illa, vel quicumque eſt illius metus, malorum omnium ſupremum. Talis fuit illa in quam poſtea Coloniæ inducti ſeductique Belgæ fuerunt, quùm Ordines

per Legatos suos, & litteras iterùm vos vestrosque majores, omnes Christianos Europæ Principes rogassent, uti vestra auctoritate & hortatu pacem illam firmaretis, & caveretis, ne Philippus nova insidiarum ratione eam falleret: uti sanè malitiosè eam fefellit. Nam non trahebāt hoc tempore moram Hispani, quin statim Hannoniam & Artesiam Provincias inducerent ad nova dissidia, & defectionem à reliquis Provincijs, quibus illi hactenus pro libitu imperitarunt: Trajectum deinde ad Mosam armis & vi expugnarunt: aliasque præterea urbes & Provincias partim vi, partim amplissimis promissis ad deditionem traducere conati sunt. Donec tandem Vlyssæum illud ingeniū ALEXANDRI FARNESI Ducis Parmensis ex Italia prodiret, qui tanquam versutus quidam auceps omnes urbes Flandriæ & Brabantiæ suavissimæ suæ lenitatis & promissionum cantu irretiret: De quo Principe quùm multa mihi dicenda essent, hoc unū non silebo; Quod, quanquam ille magna & præclara in rem Philippi gessisset toto suæ Præfecturæ tempore, tamen ambitus suspicionem effugere non potuerit, eò quod magna lenitate & comitate in se conuertisse omnium Belgarū animos, perspexisse autem & odio habuisse tantam Hispanorum malitiam visus esset: Quin adeò ob hanc caussam postea Philippus illi fungos illos præbuit edendos, quos Agrippina Claudio Cæsari probaverat, ut eorundem virtute & efficacia in numerum Deorum se referri pateretur. Sed quæ tandem illa pax fuit,

fuit, quæ velut novum aliquod aſtrum ex iſto Hiſpanicarum fraudium cælo nobis adfulſit, hortante nos ad eam Duce illo Parmenſe, quùm jam immanis hoſtis ſupra caput eſſet, & inaudita illa claſſis Hiſpanica totum Oceanũ compleviſſet? Cujus adeò terribilis facies fuit, ut haud ſciam an Xerxes majore cum copia navium, majore cum numero militum atque apparatu Pontum contabulaſſe dicatur: quo Philippus ſtatuerat nos veluti ad rumorem pacis attẽtos, omnes uno impetu proſternere. Ea tamen claſſis quùm ſolius Dei potentia, & per miraculum diſiecta eſſet, ſtatim ille per Cæſaris Legatum his Provincijs fæderatis obtulit novas pacis compoſitiones: uti per eas poſſet omnem ſuum exercitũ, & vim belli è Belgio in Galliam transferre. Cui Regno quas ille jam à multis annis ſtruxerat inſidias, eæ jam mirum in modum ſuccedere incipiebant: Occiſo enim per parricidium, & nefarium ſcelus Rege Henrico Tertio ſuo adfine, & turbato per civilia diſſidia univerſi Regni ſtatu, res & occaſio ipſa poſtulabat, uti armis & exercitu deinceps perſequeretur hæc ſua conſilia de ingerendo ſe in florentiſſimum, & maximum Galliæ Regnũ: quo devicto ſuperatoque, nullo poſtea negotio has Belgij provincias, & reliqua Europæ regna ditioneſque ſibi ſubijceret. Quid? de reliquis Reipub. periculis licetne dicere? mihi verò licet, & ſemper licebit dignitatem Patriæ meæ tueri, veritatem profiteri. Vt enim boni oratores ſolent ſeruare ſub finem orationis dicendi argumen-

ta

ta quædam efficaciora, & majoris ponderis: & periti imperatores collocare meliores milites in primo ordine aciei: Ita Philippus ſuperiori anno pacem his Provincijs obtulit, eximia quadam fide munitam firmatamque, quippe quæ omnia fundamenta poneret in virtute, clementia, ſtudio, probitate ARCHIDVCIS ERNESTI, ſui conſobrini, qui Præfectus Duci Parmenſi ſuffectus, his Provincijs, non qualem antea difficillimis condicionibus terminatam, ſed quam ipſæ deſiderarent, pacem addicebat: Quùm interea Philippus majores exercitus tranſmittere in Galliã, remittere in Hollandiã ſuos ſicarios, qui Illuſtriſſimum Principem Mauritium, Comitem Naſſovium, & inſignem paternæ virtutis imitatorem, noſtræque libertatis propugnatorem interficerent, tamque indigno & fœdo latrocinio tollerent, quàm quo paullò antè crudelisſimè, & proditoria ſceleſtaque manu trucidatus fuerat illius parens fortiſſimus, Princeps Orangius: Et denique longè deteriora, longeque ſceleſtiora conſilia decernere hoc tempore in has Provincias Philippus, quàm quæ unquam antea excogitare potuit. Nihil temerè dico, Principes, nihil adfirmo, quod non mille teſtes alij adfirmare bona fide queant, quod non litteræ ipſius Philippi atteſtentur. Quid ergo? An ullo ſimulatæ Pacis prætextu Ordines noſtros à cæptis ſuis, inſtitutiſque dimoveri poſſe exiſtimat Hiſpaniarum Rex? An dubitat animos noſtros ita obfirmatos eſſe, ut bello & armis potius, quàm quibuſlibet novis

pacis insidijs locum dare velimus? An ad suum libitum voluntatemque patere quotidiè nostrorum Ordinum animos existimat? An dubitat adhuc nostrorum hominum consilia hac una omnium voluntate, & consensu jam dudum coniuncta conn exaque esse, ut bello & armis honestè pro legibus, pro Patria mori malint, quàm deinceps insidijs & fraudibus illius turpiter succumbere? Succumbere autem? Immo verò in extremū Tyrannidis malum peruenire, seruituti intolerabili atque inhumanæ tradi, & inter venalitios referri? Quin potius æternum bellū, perpetuaque arma decreta parataque sunt: Nec nobis ulla alia pax proposita est, aut esse debet, quā quæ armis & vi cōstitui, firmari & cōseruari poterit. Sed quoniam de Gallia cæpimus paullò antè dicere, & cum illius bello nostrum esse quodammodò coniunctum ostendere, pergam his pauca quædam addere, quibus quantas insidias, fraudes, dolos huic Regno struxerit Philippus, perspiciatis. Jam à multo tempore ille (vti scitis Principes) elaboravit adnixusque est, ut omnem belli impetum in Galliam conuerteret, ut per has Gallicarum dissensionum occasiones tantùm bello, suisque belli impensis efficeret, quo magnam ejus partem obtineret, si totum occupare difficulter posset. Destinaverat enim sibi jam antea maximo apparatu classis illius superbissimæ & Galliam simul & Angliam, tanquam hostilē aliquam prædā, quùm nulla tamen in re læsus, nullaque iniuria ad bellū ab optimis Regibus provocatus fuisset: Nisi verò hāc caussam sibi suffecisse arbitratur, quòd

hæc florentiſſima Regna, ipſo ita volente & poſtulante, Pontifex ob purioris Religionis cultum proſcripſiſſet, Cujus ſcilicet abolendæ & diſſipandæ cauſſa Philippus, velut Cato quidam Major, Cenſoria ſeveritate ſolet animaduertere in omnes univerſi mundi Principes, omneſque terrarum populos. Verùm, quod nunc neque prætermittendum, neque relinquendum erat, quod vos omnes non ignoratis, & cujus rei turpitudinem nemo ſatis admirari poteſt, Philippus hoc bello Gallico, per Ducem Feriæ, alioſque Hiſpanos, apud Gallos coniuratarum partium (quibus ille tanquam belli ſocius auxilia adiunxerat) hoc conſilium ſeriò, & ſummo ſtudio agitavit, vti jus Regni illius, non modò à ſucceſſione Regiæ ſtirpis, ſed omnium omnino Gallorum in Hiſpanos derivaret: Hæc certiora ſunt, Principes, quàm illa quæ apud Sagram. Sed quorſum hæc commemoro? Quid hoc ad cauſſam meam attinet, quam defendendam ſuſcepi? Vt quanta ſcilicet ſit ambitio crudeliſſimi Tyranni oſtendam, & quantùm non nobis modò, ſed vobis omnibus ab ea cavendum ſit, videatis: Vt enim vitis eâ naturâ eſt, ut niſi eam amputes & circumcidas, ſe longè lateque diffundat, & brachijs ſuis, ramiſque quævis obuia amplectatur & circumdet, Sic Philippus, niſi ei unanimes obſiſtatis, totam aliquando Europam hoc cruentiſſimo bello devorabit. Nuper ille in Scotia tantùm muneribus, & clandeſtinis inſidijs effecerat, vt aliquot proceres illius Regni recepiſſent viginti millia Hiſpanorum

rum militum, nisi re patefacta illi ipsi digna proditionibus supplicia subijssent. Et quas insidias, quas proditiones, quæ pericula Angliæ Reginæ & Regno sæpissimè intentarit, non est quod ego meis verbis exprimi posse putem. Estne aliquid ultrà, quo progredi Tyranni ambitio & violentia possit? reperietur. Nam eadem paullò ante machinatus est in Electoratum Coloniensem, Diœcæsim Argentinensem, Iuliæ, Cliviæ, Montis ducatus, & antiquissimam Imperij urbem Aquisgranum: Quæ omnia scriptis litteris, & certissimis testimonijs inter omnes manifestè patent. Et quis nescit quantis latebris simulationũ celet illc infensissima odia in potentiores Italiæ Principes, quæ adflante primo occasionum vento in magna bellorum incendia subitò efflagrabunt? Nondum satis cernitis, Principes, quantas insidias Philippus comparet vestris felicissimis Regnis atque provincijs, vestro avito patrimonio? quùm nemo hominum tàm sine oculis, tàm sine mente vivat, qui non videat & intelligat ambitionem Philippi indies progredi de regno in regnum, & nova bella de bellis serere, nunquam quiescere: bello, flagitijs & sceleribus: pace, fraudibus & insidijs conari unumquemque vestrûm deijcere de gradu sui imperij. Est enim insatiabilis, & immensa hæc cupiditas, quæ nec solo nec cælo capi possit: Vt si tamquam in Critolai libra omnia Philippi regna, quæ longa serie solet commemorare in suis illis superbissimis titulis, ex

appendatur, vix minimi momenti inſtar illa haberi debeant. Alexander Magnus quùm univerſum mundum viciſſet, plures deſiderabat: Philippus ipſum cælum, ſi poſſet, cum Gigantibus bello adoriretur. Quapropter jam non amplius vos obteſtor, Sereniſſimi Principes, uti cauſſam noſtri belli judicetis, ac probetis veſtro judicio atque ſententia, ſed iterùm atque iterùm vos moneo, ut quantùm conſilijs, quantùmque viribus cõniti poteſtis, tantùm vobis caveatis ab inſidijs, rapinis & ſceleribus Philippi. Athenienſes olim tentantes partim bello, partim inſidijs & dolis finitima quædam loca, atque urbes Syracuſam, Lacedæmona, Meſſenam, Catinã, tantum odium immoderati imperij cupiditate contraxerant, ut illis tota Græcia cum Dario potentiſſimo Rege Perſarum, ultrò bellum inferre conſtitueret, & velut ad extinguendum commune incendium concurreret, Vos verò, Illuſtriſſimi Principes, magis profectò decebat, Philippũ jã dudùm veſtra capita, veſtraque regna omnia quotidiè iniquiſſimo bello, & indignis ſceleribus petentẽ, coniunctis viribus à vobis, ſaluteque veſtra repellere: Atque id non tantùm vos decebat, quicumque jam indè à multo tempore ad bella laceſſiti eſtis iniurijs & ambitione Philippi: verùm etiã quicumque cernitis indies illum in vicinorum veſtrorum ſedes per vim irrumpere, & ad vos lento quodã gradu appropinquare, Vos maturè providere oportebat, ne devictis, redactiſq́ in hanc ſeruitutem finitimis veſtris regionibus, Tyran-

nis

nis illa vobis aliud agentibus postea obrepat. Quùm Philippus Macedo, Alexandri Magni pater à pugna cum Triballis commissa diu dissimulatum bellum Atheniensibus inferret, Eorum caussæ Thebani se junxere, metuentes ne victis Atheniensibus, veluti vicinum incẽdium belli ad se transiret: Factaque inter duas paullò antè infestissimas civitates societate, Legationibus totam Græciam fatigant; communem hostem putent communibus viribus summovendum: neque enim cessaturum Philippum, si prosperè prima successerint, nisi omnẽ Græciam domuerit. Olim Romani Carthaginiensium crescentem potentiam, missis auxiliaribus copijs, quæ Mamertinos obsidione liberarent, & Hispaniam ab Afrorum seruitute vindicarent, omnino judicarunt infringendam esse: Veneti quantumuis haud temerè & ægerrimè ad bella suscipienda commoveri soleant, tamen nunquam dubitarunt arma sua inferioribus præsidio mittere, si vicinos immoderato ambitionis impetũ inter se contendere cernerent: Quæ quidem exempla, infinitaque alia vos docent, quantùm vobis cavere debeatis ab hoc supremo Hispanicæ ambitionis malo, ostenduntque hanc caussam æquam, & justam esse cur huic Tyranno uno consensu nobiscum omnes bellum

tandum esse cum hoc Tyranno: Nos ex amicis exemplum capimus quomodo ab hostibus cavendum sit. Nam si tanto studio vestra imperia & regna ambit Philippus, ut illum quotidiè facere videmus, Quid nobis fiet? Nunquam profectò ab armis ille discedet, quin sibi prius penitus subegerit universum Belgium, Quippe quod valdè opportunum sit & accommodum suis consilijs, ut ex eo in vestra imperia & regna sæpè excurrat, & noua bella quotidiè apparet, atque hinc traducat militem, arma, & omnem belli apparatum, conferatque in finitima regna vestra. Quamobrem mavult ille majorem etiam Europæ partem Turcarum deprædationibus adijcere, quàm ab hoc bello abstinere: Nec voluit superioribus Imperij comitijs, Imperatori militem & auxilia aduersus Turcam addicere, ut hunc Christianum orbem suis crudelissimis bellis commodius divexaret. Hæc dubitatis, Principes, qui vidistis ipsi Philippum initio nostrorum civilium motuum, maluisse jacturam facere duorum Regnorum, Tunisis & Goulettæ, quæ Turcæ Sinā Bascha duce tùm recuperabāt, quàm hæc bella nostra aliquantùm intermittere, aut ex his Provincijs militem remittere aduersus communem illum hostem Christianis omnibus infensissimum? Et scitis quantum militem, arma, quantosque sumptus impenderit ac profuderit Philippus ad hujus belli nostri gestionem, vt si horùm omnium rationem ineatis, certò vobis constet has impensas duplò majores esse eo pretio, quo universæ

hæ Belgicæ Provinciæ emi possint, quantumuis eæ maximæ sint, florentissimæ atque copiosissimæ, Et dubium non sit, quin maximarum rerum & facultatum jacturam pati Philippus malit, quàm Belgium sine bello, sine armis, sine militum copijs, paci ac quieti, suisque legibus saluam sanam relinquere. Ille enim ex hoc bello, & ex his Provincijs nostris prima & maxima fundaměta Monarchiæ suæ, ac Tyrannidis adstruxit: Quippe quum videret eas accommodatissimas hisce crudelissimis insidijs & institutis: leges autě libertatemq̃ nostrā prorsus ijsdem contrarias, aduersasque esse; Primùm has conuellere, dilacerare, ac tollere per vim & bella voluit, ne reliquis suis subditis tantorum regnorum, quæ ille vi & armis sibi subiecerat, vel postea subiecturus esset, ex hac nostra legum, libertatisque defendendæ voluntate & consensu, exemplum fortitudinis caperent, libertatisque suæ conseruandæ majorem animum, cupiditatemque assumerent. Quid igitur, Serenissimi Principes, judicatis? quid statuitis faciědum fuisse nostris Ordinibus? quid agendum fuisse viris studiosissimis Patriæ, bonique publici: Qui, ut in Tyrannide atque imperijs malè, & iniquè constitutis euenire solet, nunquam ad Principum suorum voluntatem, nutum, libidinesque, tanquam

Sed contrà, qui, tanquam Patres Patriæ, Sospitatores Libertatis, Legumque assertores, ut in Rebuspub. temperatè, moderatèque Principum imperio ordinatis usuvenire debet, consilia, voluntatem, & imperia suorum Principum ad legum suarum, libertatisque conseruationem semper diduxerant, atque direxerant. Hispanos censetis Rempub. nostram perdere, & crudelissimè vexare; Nos turpiter eandem deserere, Patriam nostram, libertatem negligere, leges majorum contemnere debuisse? Illos ordinem Politicum inuertere, & mutare in Tyrannidem, Nos manibus compressis spectare Patriæ nostræ funus, tristesque exequias? Illos lacerare, divellere, &, tanquam rapacissimas belluas, devorare corpus Reipublicæ oportuisse, Nos, tanquam seruos, vitam, & bona omnia precariò habere? Quin potius laudatis, summoque honore extollitis hanc voluntatem Ordinum, hunc animum conseruandæ Patriæ suæ? Quin eos adhortamini, & seriò commonetis, vti pergant fortissimè defendere vitam, libertatem, quocumque tandem modo possint? Quin hæc vobis quotidiè in mente versantur, quùm de bello Belgico sermo vobis vel cogitatio est, quæ hactenus ostédi, certisque rationibus addictis demonstraui; Ordines nostros atque universos Belgas coopertos miserijs, adflictos crudelitate Hispanorũ, extorres Patriâ, ipsam necessitatẽ primùm subegisse, ut hæc arma contra Philippum sumerent: Nunc verò etiam reliquas Hispanorũ fraudes, perfidiam,

ſidiam, iniurias, quibus poſtea tòto hoc belli tempore Belgas adfecerunt, tantas eſſe, tamque immanes, & incredibiles, ut ex ipſæ ſeriò moneant, poſtulent, jubeant, Ordines hæc arma conſtanti animo & voluntate retinere, ſeruare, nunquàm deponere, & oſtendere ceteris Philippi ſubditis, Siculis, Calabris, Lombardis, Arragonenſibus, Caſtellanis, Indis, Portugallenſibus, Oſtendere autem vobis ipſis, Sereniſſimi Principes, factiſque fortibus demonſtrare, non nobis tantùm, ſed vobis omnibus, atque univerſo terrarum orbi moriendum potius eſſe, quàm aſpiciendum vultum hujus Tyranni. Vobiſne adhuc perſuadetis, Principes, Philippum noſtrarum Provinciarum finibus determinaſſe ſuam Tyrannidem? Necdum videtis altiſſimam & pernicioſiſſimam flammam iſtam Hiſpanicæ Tyrannidis, limina, fores, tectaque veſtrorum imperiorum adlambere? Vigilate tādem ex iſta quiete, & ſecuritate veſtra: adeſte, aduolate ad hoc commune incendium reſtinguendum. Quid nos ad pacem cum Philippo ineundam inducere, noſque inuitos trahere veſtris conſilijs, autoritateque cupitis? quos jam dudum ipſos oportebat bello & armis Philippum à veſtris finibus repuliſſe, ſummaque fortitudine oppreſſiſſe. Voſque Potentiſſimi (ut ſingulos appellem)

maniæ fluminum ostia in sua potestate, voluntateque habiturus sit, ut vestras deinde navigationes, commerciaque suis vectigalibus & tributis aggravet, vel omnino impediat, quum sibi adlubebit, quumque vos suis imperijs obtemperare noletis. Hic est ille, quem, dum vobis, unius atque alterius Provinciæ suæ nomine in Comitijs vestris, concilijsque assidet, auditis publicè sententiam dicere, suaque consilia Tyrannidis præferre vestræ saluti & tranquillitati. Hunc vidistis Episcopos Fringensem, Hildeshemensem vobis designare: Principes atque Electores Imperij, Coloniensem, Leodiēsem, Magdeburgensem creare, perque ambitiosissimum Bavariæ ducem vobis omnibus insidiari. Et ut ad vos, Magni Illustresque Poloniæ Proceres, me conuertam; An non ita est? Philippum id genus hominum, quorum religione & dolo totum penè mundum perturbat, Iesuitas maximo numero in Regnũ vestrũ introduxisse, ut eorundem opera, & speciosis fraudibus sua consilia vobis suggerat? Iam verò vobis, Serenissimi Italiæ Principes, dixi & dico palàm, vestris ceruicibus ex tenuissimo filo impendere gladium illum vagina vacuum Hispanicæ Tyrannidis: Vos enim, Illustrissimi Reipub. Venetæ Senatores, vidistis, aspexistis ipsi in vestro statu, imperioque hanc Philippi Tyrannidem, quùm ille, licet vobis fœderis jure cōiunctissimus esset, tamen pecuniâ datâ Turcam in vos armaret, eorumque impetum à suis finibus in Cyprum conuerteret. Quapropter

ipsi

ipſi tandem aliquando attendite, Principes, ad res, ad ſalutem; ad vitam veſtram: Conſiderate, animaduertite hoſtem ac Tyrannum vobis omnibus Philippum eſſe, Quem nolite tolerare aut ferre amplius in rerum natura, cujus ambitionem dominari, & graſſari longius infeſto & funeſto imperio, vos prohibete, impedite. Et ut membra quædam amputantur, ſi & ipſo ſanguine & ſpiritu carere cæperint, & nocent reliquis partibus corporis: Sic judicate iſtam in figura hominis feritatem, & immanitatem belluæ à communi tanquam humanitate corporis ſegregandam eſſe. Hoc laudandum meritò facinus Perſarum fuit, vobiſque omnibus probandum; Quod, quia Cometes & Oropaſtes Magi Perſæ per ſimilē Tyrannidē, cædemque Mergidis Regis Perſarum, regnum occupaſſent, interfecti ſunt virtute ſeptem fortiſſimorum Principum Perſarum: Nam, quùm mira animi alacritate, & ardore omnes ferro & gladijs accurriſſent ad hos Tyrannos propria manu confodiendos, eorum unus Gobryas alterum Magorum complexus, cunctantibus ſocijs ne ipſum pro Mago transfoderent, quia res obſcuro in loco gerebatur, vel per ſuum corpus adigi Mago ferrum juſſit. Tantùm huic genti odium

criter labefactantem statum imperij ejecerunt: Nos Philippum non Belgium modò, sed mundum vniversum cæde, incendijs vastare, & subuertere cupientem in nostra Repub. feremus? Pergent profectò Ordines nostri vobis munire tantæ Tyrannidis confringendæ & discutiendæ viam: Perseverabunt longè longèque eam repellere, avertere, reijcere ab extremo nostræ salutis exitio atque interitu, & eum modum belli tenebunt, quem instituerunt; Vt non tantùm suas, sed reliquas quoque Belgij Provincias pristinæ libertati aliquandò restituant, easque ex angustijs Hispanicæ Tyrannidis educant, & in majorum suorum regno collocent. Atque ità restitutâ tandem aliquando, meliusque stabilitâ cum universi Belgij provincijs societate atque fœdere, facilius impediant crudelissimi hostis concursus & incursus, eosque unanimes arceant à salute sua, libertateque publica.

Tu, Summe DEVS, qui cælum, maria, terras; bella, pacem moderaris: qui Regibus, Principibus, atque universis mundi populis leges, jussa ponis: qui victoriam, triumphos, trophæa statuis & decernis: qui clades, pericula, iniurias inhibes, avertis; Assurge, Magne Deus, & erige te aduersus hostem omnis Iustitiæ & pacis, hostem tuarum laudũ & gloriæ: Tu tua prudentia, consilio dirige instituta nostra: & libera aliquandò populũ tuum, qui tuum sanctissimum nomen summa pietate, veraque Religione veneratur.